

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

GoogleTM books


<https://books.google.com>



This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

GoogleTM books

<https://books.google.com>



fol. 238.
L A V R E N T I I V A L L Æ
P A T R I T I I R O M A N I

de falso credita & ementita

CONSTANTINI M. IMP. RO.

donatione

D E C L A M A T I O ,

Qua Romani Antichristi in Ecclesiam Dei omnesque
Christiani orbis principes tyrannis vivis
coloribus depingitur ,

Nunc iterum publici boni causa in lucem edita.

Addita est ipsa Constantini Imp. Donatio.



L V G D V N I B A T A V O R V M
Ex officina J A C O B I M A R C I .
c l o l o c x x .

1884

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATION

500 N. 5TH ST. NEW YORK, N. Y.

Acquired from the
Library of the
City of New York

Gift of the
City of New York



THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATION
500 N. 5TH ST. NEW YORK, N. Y.

Reverendissimis atque Clarissimis SS. Theologiae Doctoribus,

D.D. IOANNI POLYANDRO.

D.D. ANTONIO VALLÆO.

D.D. ANTONIO TYSIO.

D.D. FESTO HOMMIO.

Illis SS. Theologiae in Alma Leydensium Academia

Professoribus dignissimis, huic Ill. & Pot. Dn.

Ord. Collegij Theologici Regenti vigilantissimo.

Reverendissimi & Clariss. Viri



Cceperam nuper adeo
à docto quodam viro
hanc quam videtis De-
clamationem cl. LAV-
RENTII VALLÆ in fal-
sam CONSTANTINI

IMP. Donationem, quam cum persua-
fus

sus essem iterum in lucem edi dignam
 esse, non invitus typis meis mandavi, &
 boni publici causa prodire volui. Illam
 vero cur vobis inscribam causæ est, quod
 ad vos propriè pertineat, qui fideliter
 veram Ecclesiam contra Pontificios in
 cõmuni causa asseritis, nec committitis,
 quantum in vobis est, ut illa aliquid de-
 trimenti patiatur. Nostis autem vulgò
 decantatam fabulam potestatis Pontifi-
 cum Rom. sæcularis, quam cl. LAUREN-
 TIVS VALLA detractò omni velo toti
 orbis theatro ita aperuit, ut jam fraus illa
 nemini non pateat, quod vos Viri Rev.
 ex ipsa Orationis lectione satis superque
 perspicietis, ut meis verbis hic opus non
 sit. Vobis igitur, ut ex parte meum in vos
 affectum testarer, hunc elegantissimum
 libellum dicatum volui, & seorsim qui
 recens ad Professoriam dignitatem & ad
 docendi regendiq; iuventutè in hac Aca-
 demia

DEDICATIO.

demia munus accessistis de hoc honore
plurimum gratulor, simulque Academię
nostrę de felici statu, cui promovendo
industria & eruditio vestra cum aliorum
consecrata est. Valate Viri Reverendiss.
& Clarissimi & hoc meum institutum
boni consulite. Leydę. Kal. Ianuar.
ineunte novo anno quem vobis faustum
& auspdatum precor.

Vestra Rev.

Deditissimus

JACOBVS MARCE

Typographus.

JOSEPHI SCALIGERI IVL. CÆS. FIL.

BENEDICTI VERONENS. PRINCIP.

nomine

S C A Z O N

IN CVRIAM ROMANAM.

S Pureum cadaver pristinae venustatis,
Imago turpis puritatis antiqua,
Nec Roma Romæ compos, sed tamen Roma,
Sed Roma quæ præstare non potes Romam;
Sed quæ foveris fraude, quæ foves fraudem,
Vrbs prurienti quæ obsoletior scorto,
Et obsoleti more pruriens scorti,
Quæ pene victa facie prostituerarum
Te prostituta vincis, & tuum facta es
Tibi Lupanar in tuo lupanari.
Vale pudoris urbs inanis & recti,
Tui pudoris nominisquæ decoctrix,
Turpis litura non merentium rerum,
Ocelle quondam nunc lacuna Fortune,
Negotiosa mater otiosorum.
Vale nefanda, constuprata, corrupta,
Incesta calibum Quiritium manceps,
Contaminata: quippe quid tuos mirer
Putere mores, quando vita computret?

DONA-

D O N A T I O C O N S T A N T I N I I M P.

 N nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus Sancti, Imperator Cæsar Flavius Constantinus, in Christo Ihesu uno ex eadem sancta Trinitate, salvatore domino Deo nostro fidelis, mansuetus, maximus, beneficus, Gotthicus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Hunnicus, pius, felix, victor ac triumphator, semper Augustus, sanctissimo ac beatissimo patri patrum S I L V E S T R O urbis Romæ episcopo & Papæ, atque omnibus eius predecessoribus, in sede beati Petri usque in finem seculi Pontificibus, nec non omnibus reverendissimis & Deo amabilibus catholicis episcopis, eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ per hanc nostram imperialem constitutionem subiectis, in universo orbe terrarum nunc & in posteris temporibus constitutis, gratia, pax, caritas, gaudium, longanimitas, misericordia à Deo patre omnipotente, & à Iesu Christo filio eius, & Spiritu sancto, cum omnibus nobis.

Postquam docente beato Silvestro, trina me mersione verbi salutis purificatum, & ab omni lepræ squalore mundatum, beneficiis beati Petri & Pauli Apostolorum cognovi; utile iudicavimus unà cum omnibus satrapis, & universo senatu, optimatibus etiam & cuncto populo Romani gloriæ imperii subiacente, ut sicut in terris vicarius Filii Dei Petrus videtur esse constitutus; ita etiam Pontifices, qui ipsius principis Apostolorum vices gerunt, principatus potestatem amplius quam terrena imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis nostroque imperio obtineant: eligentes nobis ipsum principem Apostolorum vel eius vicarios, firmos apud
Dcum

Deum esse patronos. Et sicut nostra est imperialis terrena potentia, eius sanctam Romanam ecclesiam veneranter honorare decrevimus, & amplius quam nostrum imperium & terrenum thronum, sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltare: tribuentes ei potestatem & gloriæ dignitatem, atque vigorem & honorificentiam imperialem, atque decernentes sancimus, ut principatum teneat tam super quatuor præcipuas sedes, scilicet Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, & Hierosolymitanam, quam etiam super omnes in orbe terrarum Dei ecclesias. Et Pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus mundi existat, & eius iudicio quæque ad cultum Dei vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. Justum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor salvator noster beatorum Petrum Apostolus obtinere præcepit cathedram, ubi & crucis patibulum sustinens beatæ mortis poculum sumpsit, sui que magistri & domini imitator apparuit: & ibi gentes pro Christi nominis confessione cella flectant, ubi eorum doctor beatus Paulus Apostolus pro Christo extenso collo martyrio coronatus est: illicque in finem quærant doctorem, ubi sancti doctoris corpus quiescit: & ibi proni ac humiliati cœlestis Regis Dei salvatoris nostri Iesu Christi famulentur officio, ubi superbi terreni Regis serviebant imperio.

Interea noscere volumus omnem populum universarum gentium ac nationum per totum orbem terrarum, nos construxisse intra palatium nostrum Lateranense eidem salvatori nostro domino Deo Iesu Christo ecclesiam à fundamentis, cum baptisterio, & duodecim nos sciatis de eius fundamentis, secundum numerum duodecim Apostolorum, cophinos terræ onustos propriis asportasse humeris: quam sacrosanctam ecclesiam caput & verticem omnium ecclesiarum in universo orbe terrarum coli, dici, venerari & prædicari sancimus, sicut

sicut per alma imperialia decreta nostra statuimus.

Construximus itaque ecclesias beatorum Petri & Pauli Apostolorum, quas argento & auro locupletavimus: ubi sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes, & thecas ipsorum ex electo (cui nulla fortitudo prævalet elementorum) construximus, & crucem ex auro purissimo & gemmis pretiosis per singulas eorum thecas posuimus, & clavis aureis confiximus. Quibus pro continuatione luminarium possessiones contulimus, & rebus diversis eas decoravimus, & per nostras imperialium iussionum sacras literas, tam in Oriente quam in Occidente, & Septentrionali plaga & meridiana, videlicet in Iudæa, Asia, Græcia, Africa, Italia, & in diversis insulis nostram largitatem concessimus, ea prorsus ratione ut per manus beatissimi patris nostri Silvestri Pontificis successorumque eius omnia disponantur.

Gaudeat unâ vobiscum omnis populus, & gentium nationes in universo orbe terrarum: exhortantes omnes, ut Deo nostro & salvatori Christo immensas unâ nobiscum gratias referatis: quoniam ipse Deus in cœlis desuper & in terra deorsum, qui nos per suos sanctos visitans Apostolos, sanctum baptismatis sacramentum percipere, & corporis sanitate dignos effecit. Pro quo concedimus ipsis sanctis Apostolis dominis meis, beatissimo Petro & Paulo, & per eos etiam beato Silvestro patri nostro summo Pontifici & universali urbis Romæ Papæ, & omnibus eius successoribus Pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beatri Petri erunt sessuri, atque de præsentī concedimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatiis. Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque Frygium: nec non superhumerales, videlicet lorū quod imperiale circumdare assolet collum; verum etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam; & omnia imperialia indumenta; sed & dignitatem imperialium præfidentium equitum. Conferentes etiam imperialia sceptrā, simul
* * & cuncta

& cuncta signa atque banna, & diversa ornamenta imperialia, & omnem processionem imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Viris etiam reverendissimis Clericis, & diversis ordinibus, eidem Romanæ ecclesiæ servientibus, illud culmen, singularitatem, potentiam & præcellentiam habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus videtur gloriâ adornari: id est, Patricios atque Consules effici: nec non cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgantes decorari. Et sicut imperialis extat decorata militia, ita clerum sanctæ Romanæ ecclesiæ adornari decrevimus: & quemadmodum imperialis potentia diversis officiis, cubiculariorum nempe, & ostiariorum, atque omnium excubiarum ornatur pulchritudinibus, ita & sanctam Romanam ecclesiam decorari volumus. Ex ut amplissimè decus pontificale præfulgeat, decernimus & hoc, ut clerici eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ, mapulis & linteaminibus, id est candidissimo colore, decoratos equos equitent: & sicut noster Senatus calciamenis utitur, cum udonibus id est candido linteamine illustratis, sic utantur & clerici: & ita cœlestia sicut terrestria ad laudem Dei decorentur.

Præterea Silvestro urbis Romæ Episcopo & Papæ, & omnibus qui post eum in successum perpetuis temporibus adveniant, beatissimis Pontificibus, pro gloria & honore Domini Dei nostri, & in eandem magnam & catholicam ecclesiam & Apostolicam, ex nostro indicto, ut quem placatus proprio consilio clericare voluerit, & in religionis clericorum numero connumerare, nullus ex omnibus præsumat superbe agere.

Decernimus itaque & hoc, ut fidem venerabilis pater noster Sylvester summus Pontifex, & successores eiusdem Pontifices, diademate, videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus, ex auro purissimo & gemmis preciosis uti debeant, & eorum capite ad laudem Dei pro honore beati Petri gestare. Ipse vero beatissimus Papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, ipsa ex auro non est passus uti co-

rona.

rona. Frygium verò candido nitore splendidum, resurrectionem dominicam designans, eius sanctissimo vertigi manibus nostris imposuimus: & tenentes frenum equi ipsius pro reverentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus: stantes eodem Frygio omnes eius successores singulariter uti in processionibus ad imitationem imperii nostri. Vnde ut pontificalis apex non vilescat, sed magis amplius quàm terreni Imperii dignitas, gloria & potentia decoretur; ecce tam palatium nostrum (ut prælatum est) quàm Romanam urbem, & omnes Italiae, seu Occidentalium regionum, provincias, loca & civitates, præfato, beatissimo Pontifici, patri nostro Silvestro universali Papæ concedimus & relinquimus ipsius & successorum Pontificum potestati & ditione firma, imperiali censura per hanc nostram, divalem sanctam & pragmaticam constitutionem decrevimus disponenda, atque in iure sanctæ Romanæ ecclesiæ concedimus permanenda. Vnde congruum prospeximus, nostrum imperium & regni potestatem Orientalibus transferri ac transmutari regionibus, & in Byzantia provincia in optimo loco nomini nostro civitatem edificari, & nostrum illic imperium, constitui: quoniam ubi principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, iustum non est ut illic Imperator terrenus habeat potestatem.

Hæc vero omnia, quæ per hanc nostram imperialem sacram & alia divalia decreta statuimus atque confirmavimus, usque in finem mundi illibata & inconcussa permanere decrevimus. Unde coram Deo vivo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili eius iudicio obtestamur omnes nostros Imperatores successores, vel cunctos optimates, Satrapas etiam, amplissimumque Senatum, & universum populum in toto orbe terrarum nunc; & in posterum imperio nostro subiacentem, nulli eorum quoquo modo licere hæc quæ à nobis imperiali sanctione factæ sanctæ Romanæ ecclesiæ vel eius omnibus Pontificibus concessa sunt, refragare atque infringere vel in quoquam convel-

DONATIO CONSTANTINI.

convellere. Si quis autem (quod non credimus) temerator au contemptor extiterit, æternis condemnationibus subiaceat innotatus, & sanctos Dei, principes Apostolorum Petrum & Paulum, sibi in præsentī & in futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus cum diabolo & omnibus deficiat impiis.

Huius vero imperialis nostri decreti paginam propriis manibus roborantes, super venerandum corpus beati Principis Apostolorum posuimus, ibique eidem Dei Apostolo spondentes, nos cuncta inviolabiliter observare, & cunctis nostris successoribus Imperatoribus conservanda in mandatis relinquere, Beatissimo patri nostro Silvestro summo & universali Papæ, eiusque per ævum cunctis successoribus pontificibus (Domino Deo & salvatore nostro Iesu Christo annuente) tradidimus perenniter atque feliciter possidenda.

Et subscriptio imperialis. Divinitas vos conservet per multos annos, sanctissimi ac beatissimi Patres. Datum Romæ sub die Kal. Aprilis, Domino nostro Flavio Constantino Augusto quarto, & Gallicano clarissimis viris Consulibus.

VL RICH I


VLRICHI HVTTENI

EQVITIS FRANCI

IN LIBELLVM LAVRENTII

VALLÆ contra *effictam & ementitam Constantini*
donationem, ad Leonem. X. Pont. Max.

P R Æ F A T I O.



Andem eorum, qui à divulgando Laurentij Vallæ in Constantini donationem libello deterrebant opinionem, tua pervicit splendida & consolationis plena promissio, Pontificatus tui initio, jubente te, expressa, pater beatissime. Postquam tu semel enim, conticescente jam bellicalulij secundi tuba, veluti pacis percusso cymbalo, orbem Christianum ad spem libertatis erexisti, omnia omnes quæ licere sciunt, usurpanda sibi putant. Ego vero etsi ante persuasus eram, si te contingeret summæ rerum præesse, quandoquidem sic coluisti optima semper studia, ut tuus in iis profectus, cum eruditissimorum hoc tempore virorum doctrina æquari facile mereatur, non passurum, ut ex veterum monumentis quicquam te Pontifice depereat, tamen ubi illam legi, publice in Italia propositam inscriptionem, LEONI DECIMO PONTIFICI MAXIMO RESTAVRATORI PACIS, exilui repente quodam concitatus mirifice inopinato gaudio, mihi que redditus, ex diuturna

A

turna prius animi commotione, quod viderem indigna multa sub tyrannis Pontificibus perpeti nationem hanc. Itaque huic gratulor ætati, quæ te auspicatissimo pacis suborto sydere, ex diuturna tyrannidis caligine, ad novam libertatis lucem respicit. Te vere Pontificem autem, qui pacem adfers, quam qui non habuerunt antecessores tui, Pontifices non fuerunt. Neque enim sequebantur Christum, qui pacem suis dedit, eandemque hæreditatem reliquit. *Pacem inquam meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Igitur & vicarij ejus non fuerunt, cuius vicem non tenuerunt. Dei enim regnare, est pacem tenere, immo alienissimi fuerunt à Christo, cuius adspernati studia, diversum vitæ genus secuti sunt. Illius pax est enim, hi bella sequebantur. Ille servare docendo homines studuit, hi perdere armis satagebant. Ille suum cœleste regnum esse ostendit, hi primo loco mundi imperia quæsierunt. Ergo nec beati fuerunt, quia pacifici non fuerunt. Nec filij dei fuerunt, quia beati, Christus inquit, pacifici, quoniam vocabuntur filii dei. En per te restauratam pacem igitur, quæ istorum perversitatē collapsa ferebatur. Atque hanc literati imprimis homines magno acceperunt exhibente te gaudio. Deinde ij quoque, à quibus iniuste ablata per fraudem multa fuerant, cupidissime complexi sunt. Venit enim cum pace una, restituyente te, iustitia, quoniam juxta prophetæ verbum, hoc potissimum tempore iustitia & pax osculatæ sunt. Venit & fides, & illa venit temporis filia Veritas. Ac regiæ abunde virtutes, clementia & mansuetudo. Vides quot simul bonorum author fueris Leo decime? Tu pacem adferens, pacis simul, hoc est optimarum artium invexisti studia,

studia. Et justitiam reddidisti, quia in pace leges sunt, ex legibus vero justitia est. Et libertatem reduxisti, quam comitata veritas, magno & ipsa temporum tuorum hominibus emolumento fuit. Pax etenim esse in tyrannide nulla potest, quia fides non est. Nec justitia esse potest, quia suum cuique non est. & quia leges opprimunt tyranni, nec verum dicere licet, quia libertas non est. At nunc vero liberi sumus, quia pacem habemus, quam habentes, pacis quoque adhibemus studia. Quod sub Iulio igitur bellorum authore non licuit, ut esset hæc tranquillitas, id sub te pacis restauratore usurpabimus, ut in literis conquiescamus. Proinde in lucem prodeat, si quid diu latuit, & eo maiori cum fiducia prodeat, quanto quidque verius, quantoque syncere magis scriptum est. Qualis hic est liber, quem alij idcirco non tulerunt Pontifices, quia verum audire noluerunt, tu idcirco amabis, quia veritatis jam ante poculum nobis propinasti. Nam ad te meliore conscientia Pontificem quid pertinet, quod contra Ecclesiastici status dignitatem scriptus ab illis ferebatur? Aut quod in Pontifices maledicum esse dicebant? Profecto enim neque fuerunt Pontifices illi, qui finxerunt Constantini donationem, quia pastores non fuerunt. Neque ecclesia fuit quæ cum accepit, quia Christifidelium conventus non fuit. Si fuissent Pastores enim, pavissent oves Christi, non devorando invasissent. Et si ecclesia fuisset, utique vocasset ad vitam & libertatem gentes, non sub jugum traxisset Imperia & nationes. Sic enim loquitur, *Venite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a generationibus meis adimplemini.* Certe implet quos accepit hæc, ille malignantium conventus inanibat &

exhauriebat. Tum Pastores esse bonos vicarios suos iussit Christus, non voraces lupos. Sic Petro dixit enim, *Petre amas me, pascere oves meas.* Pascere dixit oves meas, non devora plebem meam, sicut escam panis. Et in Apostolatam vocans, *faciam vos*, inquit, *piscatores hominum*, hoc est, faciam ut prædicando, & bona exempla edendo, alliciatis ad veritatem errantes à fide. Quod quia tu sequeris, ad officium rediisse hunc ordinem, te id efficiente, te pacem, te libertatem, te iustitiam, & veritatem revocante gaudemus & exultamus. Quæ lætior nanque audiri vox potuit? Quod suavius verbum? Itaque parvo negotio, puta uno proposito verbulo, magnam sustulisti è medio hominum vestrorum indignationem, vehementeis composuisti animorum motus, exitia intervertisti, tumultus compescuisti. Quod futurum igitur fuit, si in malum aliquem Pontificem incidissent hæ hominum cogitationes, ut vi & violentia eriperemus ab iniustis possessoribus multa, hoc per te factum est, ut citra turbam quiescendo consequamur omnia. Vides quale tuum factum interpretor vere Pontifex Leo? Quod armis persequendum erat, id beneficentiæ acceptum tuæ referre licet. Quapropter desinant quidam metuere ne tu ægre feras, si edatur hic denuo liber, quod illi ante præposteri Pontifices, ne haberetur in manibus, vetuerunt. Nihil est tibi enim commune cum illis, quia nihil fuit ipsis cum Christo. Nam illi sub fraudis fucō secularia ad se imperia traxerūt, tu in sincero veritatis splendore cœlestem dominationem, id est pacis regnum aperuisti. Per te illa igitur Christiana reviviscit veritas, quæ cum oppressa diu fuerit, nunc se colligit, & captiva iam pridem ab illo reducta

obscu-

obscuritatis carcere lucem revidere meretur. Qua fiducia elatus audet ab inferis exurgens Valla, in hominum aures atque oculos recipere sese, ob id magis etiam quod fuit tuis olim majoribus charus, à quibus ut hanc veluti hæreditariam accepisti virtutem, ita in alijs minime degeneras. Nam sicut eruditione illum magistrum tuum Politianum refert, ita moribus ab atavo Cosmo alienus minime videris. cujus quemadmodum prima laus fuit, quod in sua civitate unus omnia potuit, non omnia voluit, ita tuum quoque encomion esto, quod cum regnare ut Imperator posses, custodire ut pastor mavis. Sed in Cosmo fuit hoc imprimis admirandum, quod ineruditus ipse coluit eruditos, undique ad sese accersens, & ope aque opibus juvans, Laurentius vero pater & coluit doctos, & fuit ipse doctrina inter primos suæ ætatis commemorandus. Felicem hanc igitur domum, quæ juvandis instituta est literis. Cui alteri enim debentur seculi huius dotes? Cuius alterius beneficio revocatæ ab interitu Græcæ pariter ac Latinæ sunt literæ? Vt soli sint in Italia Florentini, quos tanto accepto commodo, tyrannorum poenitere non debeat. Scilicet charus fuit maioribus tuis Valla, cum viveret, tibi ob illorum reverentiam, ne mortuus quidem negligendus est. Vbi sunt illi itaque metuendum qui putabant, ut ferres tu operis huius divulgationem? Quasi vero unquam ab animo tuo recepta sit fraus eorum, qui scelerate mentiti sint de Constantino, aut non is sit libellus hic, qui legi ab omnibus non possit tantum, sed necessario debeat etiam, cum permagnus sit ex eo fructus, dum veritas pernoscitur. At maledicus est, immo vero idcirco bonus, quia in malos acerbus est. At in Pontifices

impius est, imò in tyrannos eius. Nam si præmia debentur apud Græciæ civitates tyrannicidis, quid ijs dabimus, qui tyrannidem quoque ipsam impugnant? Aut si pietas est amare patriam, quomodo impie agit qui hostem illius odit? An non fuerunt Christianorum hostes illi Pontifices, qui omnium ad se opes traxerunt, omnibus liberis servitutem moliti sunt? Qui imperio reges, pecunia cives dispoliabant? Qui palliatos nobis ab urbe tanto patrimoniorum nostrorum dispendio episcopos mittebant? Aut vicarij fuerunt Christi, qui illius vicem non gesserunt, quo de scriptum est, *In pace factus est locus eius*? Vel si tyranni sunt qui in liberos imperium sibi desumunt, quis hoc magis facit, quam is, qui libertatis conservatorem, hoc est Romanorum principem in servitutem adserit? Ergo non maledicit Pontificibus Valla, sed in tyrannos vera dicit, ob idque tibi valde placere putari debet, tibi inquam hoc genere, his maioribus edito, hac eruditione, hoc etiam nomine prædito. Non debet ex Medicibus uni convenire mendacium. Et in tantam doctrinam perversitas non admittitur. Nec fraudis humilitatem ad sese accipit Leonina magnitudo, quæ hanc versat in ore Græci Poetæ sententiam. *Ἰὼ δειὰ ἀνελευθερον, ἀλήθεια γενναῖον.* Præterea hoc in libello, si usquam, ostendit Laurentius, qui vir, quanto præditus animo fuerit, qui maximo etiam proposito, ut illa tempestate, periculo, veritatem deferere noluit, quanto rectius & Christiane magis, quam ille nuper asinus, qui Iul. secundo pulchræ illius donationis privilegium, quod è Græco transtulisse dicit se, cum nos Græce scriptum esse ignoraremus, non citra doctissimi viri, & se per omnia melioris contumeliam dedicavit.

cavit. Adfentebatur ille enim ut uni placeret, hic verum dixit ut multis prodesset. Quid ad Christiani hominis & boni viri perfectionem deest? Quàm te non noverunt igitur, qui metuunt ingrātū hunc fore tibi Vallæ laborem. Si noffent enim, non ex prædonum Pontificum moribus tuam æstimarent vitam. A quibus ego multum dissentio, & cum tuam prædicari famam audio, & hanc optimæ opinionis plenam promissionem ubi considero. Restauras tu enim pacem. At pax esse inter raptores, & eos à quibus rapitur, nisi suum reddatur, nulla potest. Neque tu, nisi rem ipsam præstare velles, inania nobis proponeres verba. Itaque sic opinor valde succensuisses tu mihi, si non tam contra animi sententiam mei, quàm etiam contra communem omnium sensum (quis est enim qui ita sentiat) probassem apud te piaculare figmentum, quod de Constantino mentiti sunt illi pseudoPontifices, qui occidentis imperium cum urbe Rôma gentium domina, concessum ab hoc sibi contenderunt. Quorum in hoc potissimum audaciam miror, quod veriti non sunt id affirmare, quod crediturum neminem scirent. Sed Germanis persuasuros se putabant, utpote quos cerebrum non habere fama est, atque igitur ingenio usi non sunt. Quippe si fuisset cum alijs sibi gentibus negocium, utique non sic frigida esset hæc effictio, & cautius moliti hoc commentum essent, nisi reperitur qui ostendat ex Imperatoribus ulli, antequàm ad Germanos perveniret imperij nomen, intentatam fuisse hanc fraudem. Nimum me ergo, nimum proh Christe poenitet ibi maiorum nostrorum, qui sic obtusi fuerunt, ut eos falleret captio, pueris etiam cognitu facilis. Sed eo maiori fraus illorum

rum odio digna est, quo deterius simplicitate abusi sunt nostra. Tuam vero beatissime Leo, quis satis admirari potest felicitatem, in quo istam verti contigit in melius Pontificum mutationem? Habebit enim meliores ab hoc tempore Pontifices ecclesia, nisi non ex animo fiat ista promissio, sed ex animo fit. Atque igitur quædam est hæc iniuria tua ab ijs, qui vel dubitant, contra impudentissime effectam Constantini donationem scribentes an latutus sis. In illos vere detestandi sceleris commentores Pontifices, omnia acerbissima dicta, omniaque ferocissima facta conveniunt. Quid ni? In depeculatores, in fures, in tyrannos, in latrones. Quis violentior enim latro est, quam qui ita rapit, ut rapiendi modum nullum statuatur? Hi fuerunt qui in minimo arrepta occasione, ad immensum progressi sunt diripiendi licentia. Qui gratias venum exposuerunt, qui condonationes, qui dispensationes, & infiniti generis bullas qui vendiderunt tanto jam tempore. Qui in peccatorum remissione precium statuerunt, & in poenis inferorum invenerunt sibi lucrum. Qui sacerdotia hic, eleemosynam parentum nostrorum passim sunt ab se mercati. Qui Germanis persuaferunt episcopos non esse, qui ab se pallia non emerint, multis aureorum milibus. Qui contenti non sunt exigere extra ordinem quotannis semel, sed mittebant quoties in mentem venisset, qui colligerent alijs alij de causis, nonnulli quasi bellum apparaturi contra Turcas. Alij ut templum, quod perfici non curant, Romæ divo Petro extruant. Qui cum hæc omnia facerent, tamen salutari vulgo beatissimos & sanctissimos volebant, nec aliquid in suos mores dici patiebantur, nedum fieri. Si quis vero libertatis meminisset,

minisset, aut si quis rapientibus impedimentum, aut moram si quis omnino obiecisset, in eius sæviebant animam perdetes actutum. His talibus jam insatiantis latronibus, tam immitibus tyrannis, nonne inimicum tibi valde putas, si quis te inserat Leo maxime? Aut non optime de statu Pontificio meritis videtur, qui te magna voce, quia nihil cum illis commune habebas prædicet, illis contra omnia quæ ad successionem Petri attinent, detrahat? Vel non benedices illi pacis restaurator, qui his maledixerit bellorum & seditionum autoribus? Quinimò te novi maledices his ipse, ut in quemlibet eorum conveniat propheticum hoc. *Dilexi maledictionem, & venit ei, noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Sic maledicendo perdebant illi enim animas hominum, quasi non esset deo chara hæc possessio. Ergo non fuerunt pastores, quia non custodiebant animas, sed perdebant, & circumeuntibus dominicum gregem lupis obijciebant Christi oves. Non pastores fuerunt illi inquam, sed lupi. Non custodes, sed proditores & fures. Quamobrem jure optimo maledicere illis licet, quia Deo curæ non sunt, quibus pax Dei curæ non fuit. Tandem igitur Pontifex in ecclesia non fuit, quam diu pax non fuit. Quinetiam nec dicere bene, nec facere licebat, quam diu quidem illi grassabantur per ovile Dei voraces lupi, illæ devastabant vineam domini singulares feræ, illi dominabantur orbi Christiano incomparabiles tyranni. Quibus de Hieremias dicit, *Pastores multi demoliti sunt vineam meam, concucaverunt partem meam.* Nam si tanto quisque peior tyrannus est, quanto ex civium corporibus plura, ut tutus ipse grassetur, necaverit, quid de illis dicendum

B

est, qui

est, qui ut opes haberent, animarum passim cædem instituebant: Qui ob adsertam veritatem, non corpora hominum trucidare contenti erant, sed illam perimebant etiam amicam Dei animam, sponfam Dei, illud nobile inferorum spoliū, illam tanti laboris mercedem, illud sanguine Christi quæsitum præmiū pessundabant, occidebant, devorabant. Quibus nos vicissim non inidebamus, quia potentes erant, sed oderamus, quia nocentes. Tui vero amorem profundissime insitum jam Christianorum animis, quæ satis erit alacritas beatissime Leo, ut ostendamus? Tu ille orbis amor, illud humani generis delictum, restaurator pacis, bellorum extinctor, autor securitatis, turbarum sedator, pater studiorum, fomes literarum, optimarum artium, felicitis ingeniorum cultus reparator. Quo de scriptum est per Prophetam, *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis*. Quanto solidiorem hæc laudem complectuntur, quam illa nuper de suis bellis suis triumphis decantata Iulio. Sunt enim laudabilia Pontificis opera. Illa ferocissima erant tyranni facta, Scilicet Pontifex nemo fuit, qui secularia ad se regna quomodocūque etiam pertraxit, nec vicarius Christi aut Petri successor fuit, quisquis piacularē Constantini donationem, quæ nec facta unquam est, nec fieri potuit, adseruit. Cuius ego improbationem, tantum abest ut impiam putem, ut vehementer Pontificis dignitati detrudere eos existimem, qui hanc probent. tibi vero gratissimum facere me confidam, qui reiectum nuper & damnatum hac de re Vallæ libellum, veluti ex tenebris in lucem, ab interitu ad vitam revocem. Quin etiam ipsum tibi illum dedico, ut testatum sit, quàm te Pontifice

P R A E F A T I O.

n

tifice renata libertate, verum dicere licuerit omnibus, verumque scribere. Quod etsi non dubitem, quin valde tibi placeat, tamen ubi hoc publico aliquo testimonio adprobatum abs te intellexero, dabo operam ut saepe aliquid tale inveniam. Interea Christus Opt. Max. sic bonum te, sic verum Pontificem nobis diu incolumem servet. Ex arce Steckelberg, Calen. Decemb. Anno post millesimum & quingentesimum decimum septimo.

F I N I S.

B 2

R.P.D.



R. P. D. HIERONYMVS
P A V. C A T T H A L A N V S

*Canonicus Barcinonensis, Iuris utriusque Doctor, ac
Cubicularius Alexandri VI. Pontificis Max. vir fide
digniss. in libello quem vocant Practicam
Cancellaria Apostolica, sic
scribit.*



Vod donatio Constantini etiam de facto non fuerit, lege Laurentium Vallam, & Papam Pium in dialogo. nec de tali donatione quicquàm legi apud probatum historicum, præsertim eos qui scripserint illa ætate, vel illa proxima. nam nec Eusebius, qui fuit diligentissimus scrutator & narrator rerum Christianarum meminit, quod tamen nullò modo videbatur obmittendum. nec Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilus, Ioannes Chrysostomus, nec Ammianus, nec historia tripertita, nec ipsemet Damasus Papa in sua Chronica, nec Beda, nec Orosius meminerunt. Et constat per plures quàm CCC. annos post Constantinum Imperatores tenuisse gubernacula urbis & Italiæ per duces, præfides, & exarchos, & urbis Romanæ, usque ad tempora Innocentij. II. ut patet aperte in Chronicis & historijs, & de Iustiniano patet. l. 1. & 2. de offi. præf. prætor. Africa. & in procemio Instit. & in epistola, inter claras. ibi, nostrum firmat imperium. & in l. fin. C. de vet. iur. enucl. & in l. bene à Zenone. & in aut. ut etiam Romana ecclesia, ibi, ad ecclesias nostras, & usque ad Oceani recessus,

recessus, & in aut. ut proprio nomine Imperato. Et in vita Phocæ Imperatoris legitur impetrasse Pantheon Bonifacium Papam ab eo. Vnde ergo habuerit terras Ecclesia, vide gesta Caroli magni, & Pipini, & Pium in dicto dialogo, & collecta novissime per dominum Bartholomæum de Platyna bibliothecarium, qui omnia instrumenta pertinentia ad statum ecclesiæ in temporalibus, præsertim circa acquisitionem terrarum, & aliorum iurium & censuum, collegit in valde magno volumine, ad cuius collectionem etiam operam nostram præbuimus in revidendo. Et de dicta donatione & curatione lepræ Constantini, lege quæ lata scribit Renus Episcopus Paduanus in historia sua de vitis Pontificum.

F I N I S.

Hæc libuit præmittere, quo lector seu argumento instructus, ad legendum Laurentium paratior veniat.

B 3

LAV.



LAURENTII VALENTINIS PATRITII ROMANI

de falso credita & ementita Constantini donatione declamatio.

PLures à me libri compluresque emissi sunt in omni fere doctrinarum genere. In quibus quid à nonnullis magnisq; & longo jam ævo probatis autoribus dissentio, cum sint qui indigne ferant, meque ut temerarium sacrilegumque criminantur. Quid tandem nunc facturi quidam putandi sunt? quantopere in me debacchaturi? & si facultas datur quamavide me ad supplicium festinanterque rapturi? qui non tantum adversus mortuos scribo, sed adversus etiam vivos. nec in unum alterumve, sed in plurimos. nec contra privatos modo, verumetiam contra magistratus. At quos magistratus? nempe summum Pontificem, qui non temporali solum armatus est gladio, regum ac principum more, sed ecclesiastico quoque, ut ab eo neque subter ipsum, ut sic loquar, clipeum alicuius principum protegere te possis, quo minus excommunicatione, anathemate, execratione feriari. Quod si prudenter ut dixit, sic fecisse existimatus est, qui inquit. Nolo scribere in eos, qui possunt proscribere, quanto mihi magis idem faciendum esse videtur in eum qui ne proscriptioni quidem reliquerit locum, quique invisibilibus me potestatis suæ jaculis persequatur, ut jure possim dicere quo ibo à spiritu tuo, & quo à tua fugiam facie? Nisi forte putemus, patient-

patientius hæc esse laturum summum sacerdotem, quam cæteri facerent. Nihil minus siquidem Paulo quod bona se conscientia conversa tum esse diceret, Ananias princeps sacerdotum coram tribuno qui iudex sedebat iussit obverberari, & Phassur eadem preditus dignitate Hieremiam ob loquendi libertatem coniecit in carcerem. Sed illum tribunus ac præses, hunc rex adversus injuriam Pontificis tutari & potuit & voluit. Mevero quis tribunus, quis præses, quis rex è manibus summi sacerdotis, si me rapuerit illi, etiam ut velit, eripere poterit? Verum non est causa cur me duplex hic periculi terror conturbet, arceatque à proposito. Nam neque contra ius phasque summo Pontifex licet aut ligare quippiam aut solvere & in defendenda veritate atque iustitia profundere animam summæ virtutis, summæ laudis, summi præmij est. An vero multi ob terrestrem patriam defendendam mortis adiere discrimen, ego ob coelestem patriam assequendam (assequuntur aut eam qui deo placent, non qui hominibus) mortis discrimine deterrebor? Facefsat igitur trepidatio, procul abeant metus, timores excidant. Forti animo magna fiducia, bona spe, defendenda est causa veritatis, causa iustitiæ, causa dei. Neque enim is verus habendus est orator, qui bene scit dicere, nisi & dicere audeat. Audeamus igitur accusare, quicumque digna committit accusatione. Et qui in omnes peccat, unius pro omnium vbce carpatur. At non debeo palam obiurgare fratrem, sed inter me & ipsum. Immo publice peccans, & qui privatum consilium non admitteret, publice arguendus est, ut cæteri timorem habeant. An non Paulus, cuius verbis modo sum usus, in os Petrum coram ecclesia reprehenden-

prehendit, quia reprehensibilis erat? & hoc ad nostram doctrinam scriptum reliquit. At non sum Paulus, qui Petrum possum reprehendere. Immo Paulus sum qui Paulum imitor, quemadmodum, quod multo plus est, unus cum deo spiritus effior, cum studiose mandatis illius obtempero. Neque aliquem sua dignitas ab increpationibus tutum reddit, quæ Petrum non reddidit, multosque alios eodem præditos gradu ut Marcellum, quod dijs libasset, ut Cælestinum, quod cum Nestorio hæretico sentiret. Ut quosdam etiam nostra memoria, quos ab inferioribus (quis enim non est inferior Papa?) reprehensos scimus, ut taceam condemnatos. Neque vero id ago, ut quempiam cupiam insectari, & in eum quasi Philippicas scribere. Hoc enim à me facinus procul absit, sed ut errorem à mentibus hominibus convellam, ut eos à vitijs sceleribusque vel admonendo vel increpando summoveam. Non ausim dicere, ut alij per me edocti, luxuriantem nimis sarmenis Papalem sedem, quæ Christi vinea est, ferro coerceant, & plenas vuas, non graciles labruscas ferre compellant. Quod cum facio, num quis erit qui aut mihi os, aut sibi aures velit occludere, ne dicam supplicium mortemque proponere? Hunc ego si hoc faciat, etiam si Papa sit, quid dicam esse? Bonum ne pastorem? an aspidem surdam, quæ nolit exaudire vocem incantantis, velit ejusdem membra morsu præstingere venenoque. Scio iam dudum expectare aures hominum quod nam Pontificibus Romanis crimen impingam, profecto ingens, sive supinæ ignorantia, sive immanis avaritiæ, quæ est Idolorum servitus, sive imperandi vanitatis, cuius crudelitas semper est comes. Nam aliquod jam sæculis aut

vero

vero intellexerunt donationem Constantini commentitiam fictamque esse, aut ipsi finxerunt, sive posteriores in maiorum suorum dolis vestigia imprimantes, pro vera, quam falsam cognoscerent, defenderunt. Dedecorantes Pontificatus majestatem, dedecorantes veterum Pontificum memoriam, dedecorantes religionem Christianam & omnia cædibus minis flagitiiisque miscentes. Suam esse aiunt urbem Romam, suum regnum Siciliae, Neapolitanumque. Suam universam Italiam, Gallias, Hispanias, Germanias, Britannos, suum denique occidentem. Hæc enim cuncta in ipsa donationis pagina contineri. Ergo hæc omnia tua sunt summe Pontifex? omnia tibi in animo est recuperare, omnes reges ac principes occidentis spoliare urbibus, aut cogere ut annua tibi tributa pensitent, sententia est? At ego contra existimo, iustus licere principibus spoliare te imperio omni quod obtines. Nam ut ostendam, donatio illa unde natum esse suum jus summi Pont. volunt, Silvestro pariter & Constantino fuit incognita. Verum antequam ad confutandam donationis paginam venio, quod unum istorum patrociniū est, non modo falsum, verum etiam stolidum, ordo postulat, ut altius repetam. Et primum dicam, non tales fuisse Constantinum Silvestrumque, illum quidem qui donare vellet, qui juri donare posset, qui, ut in manum alteri ea traderet, in sua haberet potestate. Hunc autem qui vellet accipere, quique jure accepturus foret. Secundo loco, si hæc non essent, quæ verissima atque clarissima sunt, neque hunc acceptasse, neque illum tradidisse possessionem rerum quæ dicuntur donatæ, sed eas semper in arbitrio & imperio Cæsarum permanisse.

C

manasse.

mansisse. Tertio nihil datum Silvestro à Constantino, sed priori Pontifici, ante quem & baptismum acceperat, donaque illa mediocria fuisse, quibus Papa degere vitam posset. Quarto, falso dici, donationis exemplum aut apud decreta reperiri, aut ex historia Silvestri esse sumptum, quod neque in illa neque in ulla historia invenitur. In eo quædam contraria, impossibilia, stulta, barbara, ridicula contineri. Præterea loquar de quorundam aliorum Cæsarum vel simulata, vel frivola donatione. Vbi ex abundanti adjiciam, si Silvester possedisset, tamen si illo siue quovis alio Pontifice à possessione deiecto, post tantam temporis intercapedinem, nec divino nec humano jure posse repeti. Postremo ea quæ à summo Pontifice tenentur nullius temporis longitudine posse præscribi. Atque quod ad primam partem attinet, (loquamur autem de Constantino prius, deinde de Silvestro) non est committendum, ut publicam quasi & Cæsaream causam, non maiore quam privatæ solent, ore agamus. Itaque quasi in concione regum ac principum orans, ut certe facio, nam mea hæc oratio in manus eorum ventura est, libet tanquam præsentem, & in conspectu positum alloqui. Vos appello reges ac principes. (Difficile est enim privatum hominem animi regij concipere imaginem.) Vestram mentem inquirō, conscientiam scrutor, testimonium postulo. Nunquid vestrum quispiam si fuisset Constantini loco, faciendum sibi putasset, ut urbem Romam, patriam suam, caput orbis terrarum, reginam civitatum potentissimam, nobilissimam, diutissimam populorum, triumphatricem nationum, & ipso aspectu sacram, liberalitatis gratia donaret alteri, & se ad humile oppidum conferret, deinde

Byzan-

Byzantium? Donaret: præterea, una cum Roma, Italiam, non Provinciam sed Provinciarum victricem, donaret tres Gallias, donaret duas Hispanias, donaret Germanos, donaret Britannos, totum donaret occidentem, & se altero ex imperij oculis orbaret? Hoc ego, ut quis faciat compos mentis, adduci non possum, ut credam. Quid enim vobis expectatius, quid jucundius, quid gratius contingere solet, quam imperijs accessionem vestris vos regnisque adiungere? & longe lateque quam maxime proferre ditionem? In hoc, ut videre videor, omnis vestra cura, omnis cogitatio, omnis labor diesque noctesque consumitur. Ex hoc præcipua spes gloriæ, propter hoc voluptates relinquitis, propter hoc mille pericula aditis, propter hoc carissima pignora, propter hoc partem corporis æquo animo amittitis. Siquidem neminem vestrum aut audiui aut legi à conatu ampliandi imperii fuisse deterritum, quod aut luminis, aut manus, aut cruris, aut alterius membri iacturam fecisset. Quin ipse hic ardor, atque hæc late dominandi cupiditas, ut quisque maxime potens est, ita eum maxime angit atque agitat. Alexander non contentus deserta Lybiæ pedibus peragrasse, Orientem ad extremum usque Oceanum vicisse, domuisse Septentrionem, inter tot vulnera, tot casus recusantibus jam detestantibusque tam longinquas, tam asperas expeditiones militibus, ipse sibi nihil effecisse videbatur, nisi & occidentem, & omnes nationes, aut vi, aut nominis sui autoritate, sibi tributarias reddidisset. Parum dico, iam Oceanum transire, & si quis alius orbis esset explorare, ac suo subijcere arbitrio destinaverat. In coelum tandem ut opinor, tentasset ascendere. Talis fere est omnium regum

voluntas, & si non omnium talis audacia. **Taceo** quanta scelera, quot abominanda propter imperium assequendum ampliandumve admissa sunt, ut nec fratres à fratrum, nec filij à parentum, nec parentes à filiorum sanguine nefarias abstineant manus. Adeo nusquam magis, nusque atrocius, grassari solet humana temeritas, & quod mirari possis, non segniores ad hoc videas animos senum quam juvenum, orborum quam parentum, regum quam tyrannorum. Quod si tanto conatu dominatus peti solet, quanto maiore necesse est conservetur. Neque enim tantopere miserum est non ampliari imperium, quam imminuere. Neque tam deforme, tibi alterius regnum non accedere tuo, quam tuum accedere alieno. Nam; quod ab rege aliquo aut populo, legimus, nonnullos præpositos regno aut urbibus, id factum est non de prima, nec de maxima, sed de postrema quodammodo ac minima imperij parte. Atque ea ratione, ut donantem, qui donatus est, quasi dominum, & se ministrum illius semper agnosceret. Nunc quæso nonne abiecto animo, & minime generoso videntur esse, qui opinantur Constantinum meliorem à se imperij alienasse partem? Non dico Romam Italiamque & cætera, sed Gallias, ubi ipse prælia gesserat, ubi solum diu dominatus fuerat, ubi suæ gloriæ suique imperij rudimenta posuerat. Hominem, qui cupiditate dominandi nationibus bella intulisset. Socios affinesque bello civili persequutis imperio privasset. Cui nondum perdomitæ ac profligatæ reliquiæ essent alterius factionis. Qui cum multis nationibus bella gerere non modo soleret spe gloriæ imperijque, sed & necesse haberet, utpote à Barbaris quotidie laceffitus. Qui fi-
lijs,

lijs, qui conjunctis sanguine, qui amicis abundaret. Qui Senatum populumque Romam huic facto repugnaturum nosset. Qui expertus esset, instabilitatem victarum nationum, & ad omnem fere Romani principis mutationem rebellantium. Qui se meminisset more aliorum Cæsarum non electione patrum consensuque plebis, sed exercitu, armis, bello, dominatum occupasse. Quæ tam vehemens causa & urgens aderat, ut ista negligere, & tanta liberalitate uti vellet? Aiunt, quia effectus erat Christianus. Ergo ne imperij optima parte se abdicaret? Credo, scelus erat, flagitium, nephas, jam regnare, nec cum Christiana religione conjungi poterat regnum. Qui in adulterio sunt, qui usuris rem auxerunt, qui aliena possident, hi post baptismum alienam uxorem, alienam pecuniam, aliena bona reddere solent, hanc cogitationem si habes Constantine, restituere urbibus libertatem, non mutare dominum debes. Sed non id in causa fuit, tantum in honorem religionis, ut faceres, adductus es. Quasi religiosum sit magis, regnum deponere quam pro tutela religionis illud administrare. Nam quod ad accipientes attinet, neque honesta erit illis neque utilis ista donatio. Tu vero si Christianum te ostendere, si pietatem indicare tuam, si consultum non dico Romanæ Ecclesiæ vis, sed Ecclesiæ Dei, nunc præcipue, nunc principem agas, ut pugnes pro his, qui pugnare non possunt, nec debent. Ut eos tua auctoritate tutos reddas, qui insidijs iniurijsque obnoxij sunt. Nabuchodonozor, Cyro, Assuero, multisque aliis principibus sacramentum veritatis Deus aperire voluit, à nullo tamen eorum exegit, ut imperio cederet, ut partem regni donaret, sed tantum libertatem

Hebræis redderet, eosque ab infestantibus finitimis protegeret. Hoc satis fuit Iudæis, hoc sat erit & Christianis. Factus es Constantine Christianus. At indignissima res est, Christianum te nunc Imperatorē, minorem esse principatu, quam fueras infidelis. Est enim principatus præcipuum quoddam Dei munus, ad quem Gentiles etiam principes à Deo eligi existimantur. At erat levatus à lepra, ideo verosimile est referre gratiam voluisse, & maiore mensura reddere quod acceperat. Ita ne? Naaman ille Syrus ab Helisæo curatus, munera tantum offerre voluit, non dimidium bonorum, Constantinus dimidium imperium obtulisset? Piget me impudenti fabellæ tanquam indubitatæ historiæ respondere. Sic enim hæc fabula, ex historia Naaman & Helisæi, ut altera Draconis, ex fabuloso Dracone Beli adumbrata est. Sed ut ista concedam, nunquid in hac historia de donatione fit mentio? Minime. Verum de hoc commodius postea. Levatus est à lepra, coepit ob id mentem Christianam, Dei timore, Dei amore imbutus est, illi honorem habere voluit. Non tamen persuaderi possum eum tanta donare voluisse. Quippe cum videam neminem, aut Gentilem in honorem deorum, aut fidelem in honorem Dei viventis imperium deposuisse, sacerdotibusque donasse. Siquidem ex regibus Israel nemo adduci potuit, ut pristino more ad templum Hierusalem populos sacrificaturos ire permitteret, eo videlicet timore, ne forte ad regem Iudæ à quo defecerant redirent, sacro illo cultu religionis admoniti ac templi maiestate. At quanto hoc magis est, quod fecisse dicitur Constantinus? Ac ne quid tibi propter curationem lepræ blandiaris, Hieroboam primus à Deo

Deo in regem Israel electus est, & quidem ex infima conditione, quod mea sententia plus est, quam esse lepra: levatum, & tamen is non est ausus regnum suum Deo credere, & tu vis Constantinum regnum Deo donasse, quod ab illo non accepisset? Qui præsertim id quod in Hieroboam non cadebat, offenderet filios deprimeret amicos, negligeret suos, læderet patriam, mœrore omnes afficeret, & quasi in alium hominem versus. Certe non defuissent qui cum admonerent, & in primis filij, propinqui amici. Quos quisquis est qui non putet protinus Imperatorem fuisse adituros? Ponite igitur illos ante oculos mente Constantini audita; trepidos, festinantes, cum gemitu lachrymisque ad genua principis procumbētes, & hac voce utentes.

Ita ne pater antehac filiorum amantissime, filios privas, ex hæredas, abdicas. Nam quo te optima maximaque Imperij parte exuere vis non tam querimur quam miramur. Querimur aiunt quod eam ad alios defers, cum nostra & iactura & turpitudine. Quid enim causæ est, quod liberos tuos expectata successione imperii fraudas, qui ipse una cum patre regnasti? Quid in te commisimus? qua in te, qua in patriam, qua in nomen Romanum, ac majestatem imperij impietate digni videmur; quos præcipua optimaque privas principatus portione, qui à patrijs laribus, à conspectu natalis soli, ab assueta aura, à vetusta consuetudine relegemur? Penates, phana, sepulchra exules relinquemus, nescio ubi aut qua terrarum regione victuri? Quid nos propinqui, quid nos amici, qui tecum toties in acie sterimus, qui fratres, parentes, filios hostili mucrone confosos, palpitantesque conspeximus, nec aliena morte territi sumus, & ipsi parati pro te mor-

te mortem oppetere, nunc abs te universi destitui-
mur? Qui Romæ gerimus magistratus, qui urbibus
Italiæ, qui Gallijs, qui Hispanijs, qui cæteris Provin-
cijs præsumus, aut præfuturi fuimus, omnes ne revo-
camur, omnes privati jubemur esse? An jacturam hanc
aliunde pensabis? Et quomodo pro merito ac pro di-
gnitate poteris, tanta orbis terrarum parte alteri tradi-
ta? Num qui præerat centum populis, eum tu Cæsar
uni præficies? Quomodo tibi istud in mentem veni-
re potuit? quomodo subita tuorum te coepit oblivio,
ut nihil te miserêat amicorū, nihil proximorum, nihil
filiorum? Vtinam nos Cæsar salva tua dignitate atque
victoria in bello contigisset occumbere potius, quam
ut ista cernamus. Et tu quidem de imperio tuo ad
tuum arbitratum agere potes, atque etiam de nobis,
uno duntaxat excepto, in quo vel ad mortem usque
erimus contumaces, ne à cultu deorum immortalium
desistamus, magno etiam alijs exemplo, ut scias tua
ista largitas quid mereatur de religione Christiana.
Nam si non largiris Silvestro imperium, tecum Chri-
stiani esse volumus, multis factum nostrum imitatu-
ris. Sin largiris, non modo Christiani fieri non susti-
nebimus, sed invisum, detestabile, execrandum, nobis
hoc nomen efficies. Talesque reddes, ut tandem tu &
vitæ & mortis nostræ miserearis. Nec nos sed te ip-
sum duriciæ accuses. Nonne hac oratione Constanti-
nus, nisi extirpatam ab eo volumus humanitatem, si
sua sponte non movebatur, motus fuisset? Quid si hos
audire noluisset? Nonne erant qui huic facto & ora-
tione adversarentur & manu? An S.P.Q.R. sibi tanta
in re nihil agendum putasset? Nonne oratorem, ut
ait Virgilius gravem pietate & meritis advocasset,
qui

qui apud Constantinum hanc haberet orationem.

Cæſar, ſi tu tuorum immemor es, atque etiam tui, ut nec filijs hæreditatem, nec propinquis opes, nec amicis honores, nec tibi imperium eſſe integrum velis; non tamen S. P. Q. R. immemor poteſt eſſe ſui juris, ſuæque dignitatis. Etenim quomodo tibi tantum promittis de imperio Romano quod non tuo ſed noſtro ſanguine partum eſt? Tune unum corpus in duas ſecabis partes? & ex uno duo efficies regna, duo capita, duas voluntates? & quaſi duobus fratribus gladios, qui de hæreditate decernant, porriges? Nos civitatibus, quæ de hac urbe benemeritæ ſunt, jura civitatis damus, ut cives Romam ſint. Tu à nobis dimidium imperij auferſ, ne hanc urbem parentem ſuam gnoſcat. Et in alveis quidem apium ſi duo reges nati ſint, alterum qui deterior eſt occidimus. Tu ne in alveo imperij Romani ubi unus & optimus princeps es, alterum & hunc deterrimum, & non apem, ſed fucum collocandum putas? Prudentiam tuam vehementer deſideramus Imperator. Nam quid futurum eſt, ſi vel te vivo, vel poſt tuam mortem, aut huic parti quam alienas, aut alteri quam tibi relinquis, bellum à barbaris nationibus inferatur? Quo robore militum, quibus copijs occurremus? Vix nunc totius imperij viribus poſſumus, tunc poterimus? An perpetuo membrum hoc cum illo in concordia erit? Vt reor, nec eſſe poterit, quum Roma dominari velit, nolit pars illa ſervire. Quin & te vivo, breve intra tempus, revocatis veteribus præſidijs, ſuffectis novis te in tuum regnum proſecto & longe agente hic altero dominante, nonne omnia nova, id eſt diverſa atque adverſa erunt? Regno fere inter duos fratres diviſo, protinus & po-

D

pulorum

pulorum animi dividuntur, & prius à seipsis, quam ab externis hostibus bellum auspicantur. Idem eventurum in hoc imperio quis non videt? An ignoras hanc olim imprimis fuisse causam optimatibus cur dicerent, citius se in conspectu populi Romani esse morituros, quam rogationem illam ferri sinerent, ut pars Senatus ac pars plebis ad incolendum Veios mitteretur, duasque urbes communes populo Romano esse? Si enim in una urbe tantum dissensionum esset, quid in duabus urbibus futurum? Ita hoc tempore, si tantum discordiarum in uno imperio (testor conscientiam tuam ac labores) quid in duobus imperijs fiet? Age vero putas ne hinc fore, qui tibi bellis occupato else auxilio aut velint, aut sciant? Ita ab armis atque ab omni re bellica abhorrentes erunt, qui præficiuntur militibus atque urbibus, ut ille qui præficit. Quid? nonne hunc tam imperitum regnandi, & iniuriæ facilem, aut Romanæ legiones, aut ipsæ Provinciæ spoliare tentabunt? Ut quem sperabunt vel non repugnaturum, vel poenas non repetiturum. Credo me hercule ne unum quidem mensem illos in officio mansuros, sed statim, & ad primum profectionis tuæ initium rebellaturos. Quid facies? Quid consilij capies, quum duplici atque adeo multiplici bello urgerere? Nationes, quas subegimus, continere vix possumus, quomodo illis accedente ex liberis gentibus bello resistetur? Tu Cæsar, quid ad te spectet, ipse videris, nobis autem hæc res non minus, quam tibi, curæ esse debet. Tu mortalis es, Imperium populi Romani decet esse immortale, & quantum in nobis est, erit. neque imperium modo, verum etiam pudor. Scilicet, quorum religionem contemnimus, eorum accipiemus imperium?

rium ? & principes orbis terrarum huic contemptissimo homini serviemus ? Vrbe à Gallis capta, Romani fenēs demulceri sibi barbam à victoribus passi non sunt. Nunc sibi tot senatorii ordinis, tot prætōrij, tot tribunitij, tot consulares, triumphalesque viri, eos dominari patientur, quos ipsi tanquā servos malos omni contumeliarum genere suppliciorumque affecerunt ? Isti ne homines magistratus creabunt ? Provincias regent ? bella gerent ? de nobis sententias capitis ferent ? Sub his nobilitas Romana stipendia faciet ? honores sperabit ? munera assequetur ? Et quod maius, quodque altius penetret vulnus accipere possumus ? Non ita putes Cæsar Romanum degenerasse sanguinem, ut istud passurus sit æquo animo, & non quavis ratione devitandum existimet, quod mediūssidius neque mulieres sustinerent, sed magis se una cum dulcibus liberis, sacrisque penatibus concremarent. Ut non Carthaginenses foeminæ fortiores fuerint, quam Romanæ. Etenim Cæsar si regem te delegissemus, haberes tu quidem magnum de imperio Romano agendi arbitrium, sed non ita ut vel minimum de ipsius imminueres maiestate. Alioquin qui te fecissemus regem, eadem facultate te regno abdicare iuberemus, nedum posses regnum dividere, nedum tot Provincias alienare, nedum ipsum Regni caput peregrino atque humillimo homini addicere. Canem ovili præfecimus, quem, si lupi mavult officio fungi, aut eijcimus, aut occidimus. Nunc tu cum diu canis officio in ovili Romano defendendo sis functus, ad extremum in lupum nullo exemplo converteris ? Atque ut intelligas, quandoquidem nos pro jure nostro coges asperius loqui, nullum tibi in populi Romani

D 2

imperio

imperio ius est. Cæsar vi dominatum occupavit, occupavit Augustus, & in vitium successit, & adversariorum partium profligatione se dominum fecit. Tiberius, Gaius, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, cæterique, aut eadem aut simili via libertatem nostram prædati sunt. Tu quoque, alijs expulsis, aut interemptis dominus effectus es. Sileo, quod ex matrimonio natus non sis. Quare ut tibi nostram mentem testificemur Cæsar, si non libet tibi Romæ principatum tenere, habes filios, quorum aliquem in locum tuum nobis quoque permittentibus, ac rogantibus naturæ lege substituas. Sin minus, nobis in animo est, publicam amplitudinem, cum privata dignitate defendere. Neque enim minor hæc iniuria Quiritum, quam olim fuit violata Lucretia. Neque nobis deerit Brutus, qui contra Tarquinium se ad libertatem recuperandam huic populo præbeat ducem. Et in istos primum quos nobis præponis, deinde & in te ferrum stringemus. Quod in multos Imperatores, & quidem leviores ob causas, fecimus. Hæc profecto Constantinum, nisi lapidem eum aut truncum existimamus, permovissent. Quæ, si populis non dixisset, tamen dicere apud se, & his passim verbis fremere, credibile erat. Eamus nunc, & dicamus. Constantinum gratificari voluisse Silvestro, quem tot hominum odiis, tot gŕadijs subiiceret, ut vix, quantum sentio, unum Silvester diem in vita facturus fuisset. Nam eo, paucisque alijs absumptis, videtur omnis sublatura ire de pectoribus Romanorum tam diræ iniuriæ contumeliæque suspicio. Age porro si fieri potest concedamus neque preces, neque minas, neque ullam rationem aliquid profecisse, perstareque adhuc Constantinum,

stantinum, nec velle à suscepta semel persuasione discedere. Quis non ad Silvestri orationem si res vera fuisset, unquam commotum assentiatur? quæ talis haud dubie fuisset.

Oratio Silvestri ad Constantinum.

Princeps optime, ac fili Cæsar. Pietatem quidem tuam tam pronam tamque effusam, non possum non amare atque amplecti, veruntamen quod in offerendis Deo muneribus, immolandisque victimis nonnihil erres, minime demiror, quippe qui adhuc es in Christiana militia tyro. Vt non decebat olim à sacerdote omnem pecudem, feramque, & ovem sacrificari, ita non omne ab eodem accipiendum est munus. Ego sacerdos sum, ac Pontifex, qui dispicere debeo, quid ad altare patiar offerri. Ne forte, non dico immundum animal offeratur, sed vipera aut serpens. Itaque sic habeas. Si foret tui iuris, partem imperij cum regina orbis Roma alteri tradere quam filiis, quod minime sentio, si populus hic, si Italia, si cæteræ nationes sustinerent, ut quos oderunt, & quorum religionem adhuc respuunt, capti illecebris sæculi, eorum imperio obnoxij esse vellent, quod impossibile est, tamen si quid mihi credendum putas fili amantissime, ut tibi assentiar, ulla adduci ratione non possum, nisi vellem mihi ipsi esse dissimilis, & conditionem meam oblivisci, ac propemodum Dominum Iesum abnegare. Tua enim munera, sive ut tu vis, tuæ remunerationes, & gloriam, & innocentiam, & sanctimoniam meam, atque omnium qui mihi successuri sunt, polluerent, ac prorsus everterent, viamque ijs qui ad cognitionem

veritatis

veritatis venturi sunt, intercluderent. An vero Helisæus à Naaman Syro, à lepra curato, mercedem accipere noluit, ego te curato accipiam? Ille munera respuit, ego regna mihi dari sinam? Ille personam Prophetæ maculare noluit, ego personam Christi, quam in me gero, maculare potero? Cur autè ille accipendis muneribus personam Prophetæ maculari putavit? Nempe quod videri poterat, vendere sacra, foenerare donum Dei, indigere præsidij hominum, elevare atque imminuere beneficij dignitatem. Maluit ergo sibi principes ac reges beneficiarios facere, quam ipse beneficiarius illorum esse. Immo ne mutua quidem beneficentia uti. Beatius est enim multo, ut inquit Dominus, dare quam accipere. Eadem mihi atque adeo maior est causa, cui etiam à Domino præcipitur dicente, infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones eijcite, gratis accepistis, gratis date. Ego ne tantum flagitium admittam. Cæsar, ut Dei præcepta non exequar? ut gloriam meam poluam? melius est, ut inquit Paulus, mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Gloria nostra est, apud Deum honorificare ministerium nostrum, ut idem inquit: vobis dico gentibus, quamdiu ego quidem sum gentium Apostolus, glorificabo ministerium meum, ego Cæsar aliis quoque sim, & exemplum, & causa delinquendi, Christianus homo, sacerdos Dei, Pontifex Romanus, vicarius Christi? Iam vero innocentia sacerdotum quomodo incolumis erit inter opes, inter magistratus, inter administrationem secularium negotiorum? Ideo ne terrenis renunciamus, ut eadem uberiora assequamur? Et privata abiecinus, ut aliena possideamus, & publica? Nostræ erunt urbes,
nostra

nostra tributa, nostra vestigalia. Et cur clericos, si hæc fecerimus, nos vocari licebit? pars nostra, sive fors, quæ Græce dicitur κληρο, dominatus est non terrenus sed cœlestis. Levitæ, qui idem clerici sunt, partem cum fratribus non fuere sortiti, & tu nos jubes etiam fratrum sortiri portionem? Quo mihi divitias atque opes, qui Domini voce iubeor nec de crastino esse sollicitus? & cui dictum est ab illo, nolite thesaurizare super terram, nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Et, difficilius est divitem introire in regnum cœlorum, quam camelum per foramen acus transire. Ideoque pauperes sibi ministros elegit, & qui omnia reliquerunt, ut eum sequerentur, & paupertatis ipse fuit exemplum. Vtique adeo divitiarum pecuniarumque tractatio innocentiae inimica est, non modo possessio illarum atque dominatus. Vnus Iudas, qui loculos habebat, & portabat quæ mittebantur, prævaricatus est, & amore pecuniæ cui assueverat, magistrum, Dominum, Deum, & reprehendit, & prodidit. Itaque verear Cæsar, ne me ex Petro facias Iudam. Audi etiam quid Paulus dicat. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus; habentes aiunt alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inferuerunt se doloribus multis; tu autem homo Dei hæc fuge. & tu me accipere iubes Cæsar quæ velut venenum effugere debeo? & quod præterea pro tua prudentia

dentia Cæsar consideres, quis inter hæc divinis rebus faciendis locus? Apostoli, quibusdam indignantibus quod viduæ ipsorum in ministerio quotidiano despicerentur, responderunt, non esse æquum relinquere se verbum Dei, & ministrare mensibus; & tamen viduis ministrare, quanto aliud est quam exigere vectigalia? curare ærarium? stipendium numerare militibus? & mille alijs curis huiusmodi implicari? Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, inquit Paulus. Nunquid Aaron, cum cæteris Levitici generis, aliud quam Domini tabernaculum procurabat? Eius filij, quia ignem alienum in thuribula sumpserant, igni cœlesti conflagraverunt. Et tu iubes nos ignem secularium divitiarum vetitum, ac prophanum, in sacrata thuribula, id est in sacerdotalia opera sumere? Num Eleazar, num Phinees, num cæteri Pontifices, ministrique, aut tabernaculi, aut templi, quicquam, nisi quod ad rem divinam pertineret, administrabant? Administrabant dico. Immo, administrare poterant, si officio suo satisfacere volebant? Quod si nolint, audiant execrationem Domini dicentis. Male dicti qui opus Domini faciunt negligenter. Quæ execratio quum in omnes, tum in te Pontifex maxime cadit. O quantum est Pontificale munus! Quantum est caput esse ecclesiæ! Quantum est præponi pastorem tanto ovili, è cuius manu uniuscuiusque agni, ovisque amissæ sanguis exigitur. Cui dictum est, si amas me plusquam alij, ut fateris, pascere agnos meos. Iterum si amas me, ut fateris, pascere oves meas. Tertio si amas me, pascere oves meas. Et tu iubes Cæsar capras etiam pascere, & porcos, qui nequeunt ab eodem pastore custodiri. Quid, quod me regem facere vis, aut potius Cæsarem,

farem, id est regum principem? Dominus Iesus Christus, Deus & homo, rex & sacerdos, quum se regem affirmaret, audi de quo regno locutus est. Regnum meum inquit non est de hoc mundo. Si enim de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique desertarent. Et quæ fuit prima vox, ac frequenter clamor prædicationis eius? Nonne hæc? Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. Appropinquavit regnum Dei, cui comparabitur regnum cælorum. Nonne cum hæc dixit, regnum sæculare nihil ad se pertinere declaravit? Eoque non modo regnum huiusmodi non quæsit, sed oblatum quoque accipere noluit. Nam cum intelligeret aliquando, populos destinasse ut eum raperent, regemque facerent, in montium solitudines fugit. Quod nobis qui locum ipsius tenemus, non solum exemplo dedit imitandum, sed etiam præcepto, inquit Principes gentium dominantur eorum. Et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Nam ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit primus inter vos esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ut ministretur ei, sed ut ministret, & det animam suam redemptionem pro multis. Iudices olim Deus, ut scias Cæsar, constituit super Israel, non reges, populumque sibi nomen regium postulantem detestatus est. Nec aliter ob duritiam cordis illorum regem dedit, quam quod repudiū permiserat, quod in nova lege revocavit. Et ego regnum accipiam qui vix iudex esse permittor? An nescitis, inquit Paulus, quod sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis. Nescitis

E

quod

quod angelos judicabimus, quanto magis secularia? Secularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, eos constituite ad judicandum. Atqui judices de rebus controversis tantummodo judicabant, non etiam tributa exigebant. Ego exigam, qui scio à domino interrogatum Petrum, à quibusnam reges terræ acciperent tributum, censumve, à filiis an ab alienis? Et quum hic respondisset, ab alienis, ab eodem dictum, ergo liberi sunt filij. Quod si omnes filij mei sunt Cæsar, ut certe sunt, omnes liberi erunt, nihil quisquam solvet. Igitur non est opus mihi tua donatione, qua nihil affecuturus sum, præter laborem, quem ut minime debeo, ita minime possum ferre. Quid quod necesse haberem, potestatem exercere sanguinis, punire fontes, bella gerere, urbes diripere, regiones ferro inique vastare? Aliter non est quod sperem, posse me tueri, quæ tradidisses. Et si hæc fecero, sacerdos, Pontifex, Christi vicarius sum? Ut illum in me tonantem audiam, atque dicentem: Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus, & tu fecisti eam speluncam latronum. Non veni in mundum, inquit dominus, ut judicem mundum, sed liberem eum, & ego qui illi successi causâ mortuum ero? Cui in persona Petri dictum est: Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Ne defendere quidem nobis ferro nos licet. Siquidem defendere dominum Petrus volebat, cum auriculam abscidit ferro, & tu divitiarum aut comparandarum aut tuendarum causa, uti ferro nos iubes? Nostra potestas est potestas clavium, dicente domino: Tibi dabo claves regni cœlorum. Quodcunque ligaveris super terram,

erit

erit ligatum & in coelis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in coelis, & portæ inferi non prævalebunt adversus eas. Nihil ad hanc potestatem, nihil ad hanc dignationem, nihil ad hoc regnum adiici potest. Quo qui contentus non est, aliud sibi quoddam à diabolo postulat, qui etiam domino dicere ausus est: Tibi dabo omnia regna mundi, si cadens in terram adoraveris me. Quare Cæsar, cum pace tua dictum sit, Noli mihi diabolus effici, qui Christum, id est me regna mundi à te datà accipere iubeas. Malo enim illa spernere quam possidere. Et ut aliquid de infidelibus, sed ut spero, futuris fidelibus loquar, noli me de angelo lucis reddere illis angelum tenebrarum, quorum corda ad pietatem inducere volo, non ipsorum cervici jugum imponere, & gladio quod est verbum Dei, non gladio ferri mihi subijcere, ne deteriores efficiantur, ne recalcitrent, ne cornu me feriant, ne nomen Dei meo irritati errore blasphement. Filios mihi charissimos volo reddere, non servos; adoptare, non emere; generare, non manucapere; animas eorum offerre sacrificium Deo, non diabolo corpora. Discite à me, inquit dominus, qui mitis sum, & humili corde. Capite jugum meum, & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave, & pondus meum leve. Cuius ad extremum, ut finem faciam, illam in hac re sententiam accipe, quam quasi inter me & te tulit. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Quo fit, ut nec tu Cæsar tua relinquere, neque ego quæ Cæsaris sunt, accipere debeam, quæ vel si millies offeras nunquam accipiam. Ad hanc Silvestri orationem Apostolico viro dignam, quid esset, quod amplius Constantinus pos-

set opponere ? Quod quum ita sit, qui aiunt donationem factam esse, nonne iniuriosi sunt in Constantinum, quem suos privare, imperiumque Romanum voluisse convellere. Iniuriosi in S. P. Q. R. Italiam totumque occidentem, quem contra ius fasque imperium mutari permisisse. Iniuriosi in Silvestrum, quem indignam sancto viro donationem acceptam habuisse, Iniuriosi in summum Pontificē cui licere terrenis potiri regnis, & Romanū moderari imperium arbitrantur ? Hæc tamen omnia eo pertinent, ut appareat Constantinum, inter tot. impedimenta, nunquam fuisse facturum, ut rem Romanam Silvestro ex maxima parte donaret, quod isti aiunt. Age porro, ut credamus istam donationem, de qua facit pagina vestra mentionem, debet constare etiam de acceptatione Silvestri. Nunc de illa non constat. At credibile est dicitis ratam hunc habuisse donationem, ita credo, nec ratam habuisse modo, verum etiam petisse, rogasse, precibus extorsisse credibile est. Quid vos credibile quod præter opinionem est hominum, dicitis? Nec quia in pagina privilegij de donatione fit mentio, putandum est fuisse acceptatam. Sed è contrario, quia non fit mentio de acceptatione, dicendum est non fuisse donatum. Ita plus contra vos facit, hunc donum respuisse, quam illum dare voluisse. E beneficium invitum non confertur. Neque vero tantum donata respuisse Silvestrum suspicari debemus, sed tacite etiam indicasse, nec illum dare iuste, nec se jure accipere posse. Sed ô cæcam semper inconsultamque avaritiam! Demus, ut tabulas quoque de assensu Silvestri proferre possitis, veras, incorruptas, sinceras, num. protinus donata sunt, quæ in tabulis continentur?

Vbi

Vbi possessio? Vbi in manus traditio? Nam si chartam modo Constantinus dat, non gratificari Silvestro voluit, sed illudere. Verisimile est dicitis, qui donat quippiam, eum & possessionem tradere. Videte quid loquamini, quum possessionem non esse datam constet, & an datum sit ius ambigitur. Verisimile est, qui possessionem non dedit, eum ne jus quidem dare voluisse. An non constat possessionem nunquam traditam fuisse, quod negare impudentissimum est. Nunquid Silvestrum Constantinus in Capitolium, quasi triumphantem, inter frequentium Quiritum sed infidelium plausum duxit? In sella aurea simul assistente universo Senatu collocavit? Magistratus pro sua quenque dignitate regem salutare & adorare iussit? Hæc erga novos principes fieri solent, non tantum aliquod pallatium velut Lateranense tradi. Num postea per universam Italiam circumduxit? Adiit cum illo Gallias? Adiit Hispanias? Adiit Germanos, cæterumque occidentem? Aut si gravabantur ambo tantum obire terrarum, quibusnam tam ingens officium delegarunt? qui & Cæsaris vice traderent possessionem, & Silvestri acciperent? Magni hi viri, atque eximiae autoritatis esse debuerunt, & tamen qui fuerint ignoramus. Nostra memoria, ut exempla vetusta omittam, nunquam aliter factitatum vidimus, quum quis aut urbis, aut regionis, aut Prævinciæ dominus factus est, ita demum traditam existimari possessionem, si magistratus pristini summoveantur, novique subrogentur. Hoc si tunc Silvester fieri non postulasset, tamen magnificentiae Constantini intererat, ut declararet non verbo, sed re possessionem tradere, suos præfides amovere, aliosque ab illo substitui iubere. Non traditur

possessio, quæ penes eisdem remanet, qui possidebant, & novus dominus illos summovere non audet. Sed fac istud quoque non obstare, & nihilominus putari Silvestrum possedisse, atque omnia præter morem, præterque naturam tunc esse dicamus administrata. Postquam ille abiit, quos provinciis urbibusque rectores Silvester præposuit, quæ bella gessit? quas nationes ad arma spectantes oppressit? per quos hæc administravit? Nihil horum scimus, respondetis. Ita puto, nocturno tempore hæc omnia gesta sunt, & ideo nemo vidit. Age fuit in possessione Silvester? Quis eum de possessione deiecit? Nam perpetuo in possessione non fuit, neque successorum aliquis saltem, usque ad Gregorium magnum, qui & ipse caruit possessione. Qui extra possessionem est, nec se ab ea dejectum probare potest, is profecto nunquam possedit, & si se possedisse dicat, insanit. Vides ut te insanum etiam probo? Alioquin dic quis Papam deiecit, ipse ne Constantinus, an ejus filij, an Iulianus an aliquis alius Cæsar? Profer nomen expulsores, profer tempus, unde primum, unde secundo, ac deinceps expulsus est. Num per seditionem, & cædes, an sine his? conjurarunt in eum pariter nationes, an quæ primæ? Quid? nemo omnium auxilio fuit? Ne illorum quidem qui per Silvestrum aliumve Papam præpositi urbibus ac provinciis erant? Vno die universa amisit? an paulatim & per partes? Restitit ipse sui que magistratus, an ad primum tumultum se abdicarunt? Quid? ipsi victores non in eam faciem hominum, quam indignam imperio ducebant, ferro grassati sunt? In ultionem contumeliæ, in tutelam occupatæ dominationis, in contemptum religionis nostræ, in ipsum etiam posteritatis

steritatis exemplum. Omnino eorum qui victi sunt, nemo fugam cepit? nemo latuit? nemo timuit? O admirabilem casum. Imperium Romanum tantis laboribus, tanto cruore partum, tam placide tam quiete à Christianis sacerdotibus vel partum est, vel amissum, ut nullus cruor, nullum bellum, nulla querela intercesserit. Et quod non minus admirari debeas, per quos hoc gestum sit, quo tempore, quomodo, quamdiu, prorsus ignotum. Putes in sylvis inter arbores regnasse Silvestrum, non Romæ, & inter homines, & ab Hybernis imbribus frigoribusque, non ab hominibus eiectum. Quis non habet cognitum, qui paulo plura lætitarit, quot reges Romæ, quot consules, quot dictatores, quot tribuni plebis, quot censores, quot ædiles creati fuerint, nemoque ex tanta hominum copia, ex tanta vetustate nos fugit. Scimus item quot Atheniensium Duces, quot Thebanorum, quot Lacedemoniorum extiterint, pugnas eorum terrestres navalesque universas tenemus. Non ignoramus qui reges Persarum, Medorum, Chaldæorum, Hebræorum fuerint, aliorumque plurimorum. Et quomodo horum quisque aut acceperit regnum, aut tenuerit, aut perdiderit, aut recuperaverit. Romanum aiunt, sive Silvestrianum imperium, qua ratione inceperit, aut qua desierit, quando, per quos, in ipsa quoque urbe nescitur. Interrogo enim quos harum rerum testes, auctoresque proferre possitis? nullos respondetis. Et non pudet vos non tam homines quam pecudes dicere verisimile esse Silvestrum possedisse? Quod quia vos non potestis, ego è contrario docebo, ad ultimum usque diem vitæ Constantinum, & gradatim deinceps omnes Cæsares possedisse, ut ne quid

quid habeatis quod hifcere poffitis. At perdifficile est, & magni ut opinor operis hoc docere. Evoluantur omnes Latinæ Græcæque hiftoriæ, citentur cæteri autores, qui de illis meminere temporibus, at neminem reperies, in hac re ab alio difcrepare. Vnum ex mille testimonijs fufficiat. Eutropius, qui Conftantinum, qui tres Conftantini filios à patre relictos, dominos orbis terrarum vidit, qui de Iuliano filio fratris Conftantini ita fcribit: Hic Iulianus qui fuit Diaconus in Romana ecclefia Imperatorque effectus apoftotavit in Idolorum cultu, rerum potitus eft, ingenti- que apparatu Parthis intulit bellum. Cui expeditio- ni ego quoque interfui. Nec de donatione imperij occidentis tacuiſſet, nec Paulo poſt de Ioviano, qui ſucceſſit Iuliano, ita dixiſſet: Pacem cum Sapore neceſſariam quidem, ſed ignobilem fecit, mutatis finibus, ac nonnulla imperij Romani parte tradita, quod ante, ex quo Romanū imperium conditum erat, nunquam accidit. Quin etiam legiones noſtræ apud Claudium Propontum Teleſtinum, & in Hiſpania apud Numantiam, & in Numidia ſub iugo miſæ ſunt, ut nihil tamen finium traderetur. Hoc loco libet vos qui nuperrime deſuncti eſtis, convenire Pontifex Ro- mane & te Eugeni, qui vivis cum felicis tamen venia. Cur donationem Conſtantini magno ore jaſtitatis, frequenterque vos ultores erepti imperij quibuſdam regibus principibuſque minamini? & confeſſionem quandam ſervitutis à Cæſare, dum coronandus eſt, & à nonnullis alijs principibus extorquetis? Veluti ab rege Neapolitano atque Siciliæ, id quod nunquam aliquis veterum Romanorū Pontificū fecit, non Damalus apud Theodoſium, nō Syrinus apud Arcadium,

non

non Anastasius apud Honorium, non Ioannes apud Iustinianum, non alij apud alios sanctissimi Papæ apud optimos Cæsares, sed semper illorum Romanæ Italianique cum Provincijs quas nominavi fuisse professi sunt. Eoque numismata aurea, ut de aliis monumentis fileam, templisque urbis Romanæ circumferuntur, non Græcis, sed Latinis literis inscripta, Constantini jam Christiani, & deinceps cunctorum ferme Imperatorum, quorum multa penes me sunt, cum hac plerunque subscriptione, subter imaginem crucis, *Concordia orbis*, qualia infinita reperirentur summorum Pontificum si unquam Romæ imperassetis, quæ nulla reperiuntur, neque aurea, neque argentea, neque ab aliquo visa memorantur, & tamen necesse erat illo tempore proprium habere numisma, quisquis imperium Romæ teneret, saltem sub imagine salvatoris aut Petri. Proh imperitiam hominum, non cernitis si donatio Constantini vera est, Cæsari, de Latino loquor, nihil relinqui? En qualis Imperator, qualis Rex Romanus erit, cuius regnum si quis habeat, nec aliud habeat, omnino nil habeat. Quod si itaque palam est Silvestrum non possedisse, hoc est Constantinum non tradidisse possessionem, haud dubium erit, ne jus quidem, ut dixi, dedisse possidendi, nisi dicitis, Ius quidem datum, sed aliqua causa possessionem non traditam. Ita plane dabat, quod minime futurum intelligebat, dabat, quod tradere non poterat, dabat, quod non prius venire in manus eius cui dabatur possibile erat, quam esset extinctum. Dabat donum quod ante quingentos annos, aut numquam valiturum foret. Verum hoc loqui aut sentire insanum est. Sed jam tempus est, ne longior fiam, causæ adversariorum jam con-

F

scissæ

scissæ atque laceratæ letale vulnus imprimere, & uno eam jugulare ictu. Omnis fere historia quæ nomen historiæ meretur, Constantinum à puero cum patre Constantio Christianum refert multo etiam ante Pontificatum Silvestri, ut Eusebius ecclesiasticæ scriptor historiæ, quem Rufinus non in postremis doctus, in Latinum interpretatus, duo volumina de ævo suo adjecit, quorum uterque pene Constantini temporibus fuit. Adde huc etiam testimonium Romani Pontificis qui his rebus gerendis non interfuit, sed præfuit, non testis, sed autor, non alieni negotij, sed sui narrator. Is est Melchiades Papa qui proximus fuit ante Silvestrum, qui ita ait: Ecclesia ad hoc usque pervenit, ut non solum gentes, sed etiam Romani principes, qui totius orbis Monarchiam tenebant, ad fidem Christi, & ad fidei sacramenta concurrerent. E quibus vir religiosissimus Cōstantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per universum orbem sub suo degentibus imperio, non solum fieri Christianos, sed etiam fabricandi Ecclesias, & prædia constituit tribuenda. Denique præfatus princeps dona immensa contulit, & fabricam templi primæ sedis beati Petri instituit, adeo ut sedem imperialem relinqueret, & beato Petro suisque successoribus profuturam concederet. En nihil Melchiades à Constantino donatum ait, nisi palatium Lateranense, & prædia, de quibus Gregorius in registro facit sæpissime mentionem. Vbi sunt qui non in dubium vocari non sinunt, donatio Constantini valeat, nec ne, cum illa donatio fuerit & ante Silvestrum, & rerum tantummodo privatarum? quæ res quanquam plana & aperta sit, tamen de ipso, quod isti stolidi proferre solent,

lent, privilegio disserendum est. Et ante omnia non modo ille, qui Gratianus videri voluit, qui nonnulla ad opus Gratiani adiecit, improbitatis arguendus est, verum etiam inscitia, qui opinantur paginam privilegij apud Gratianum contineri, quod neque docti unquam putarunt, & in vetustissimis quibusque codicibus decretorum non invenitur. Et si quo in loco huius rei Gratianus meminisset, non in hoc ubi isti collocant, seriem ipsam orationis abrumpentes, sed in eo ubi agit de Ludovici pactione, meminisset. Præterea duo milia locorum in decretis sunt, quæ ab huius loci fide dissentiant. Quorum unus est ubi, quæ superius retuli, Melchiadis verba ponuntur. Nonnulli eum qui hoc capitulum adiecit, aiunt vocatum paleam vel vero nomine, vel ideo, quod quæ de suo adiunxit, ad Gratianum comparata, instar palarum juxta frumenta existimentur. Vtunque sit, indignissimum est credere, quæ ad hoc adiecta sunt, ea decretorum collectorem, aut ignorasse, aut magnificisse, habuisseque pro veris. Bene habet. sufficit. vicinus. Primum quod hoc Gratianus non ait, ut isti mentiebantur, immo adeo ut ex infinitis locis datur intelligi, negat atque confutat. Deinde, quod unum & ignotum & nullius autoritatis ac nauci hominem afferunt, ita etiam stolidum, ut ea Gratiano affinixerit, quæ cum cæteris illius dictis congruere non possent. Hunc ergo vos autorem profertis? Huius unius testimonio utimini? Huius chartulam, ad tantæ rei confirmationem, contra sexcenta probationum genera recitatis? At ego expectavëram, ut aurea sigilla, marmoratos titulos, mille autores ostenderetis. Sed ipse (dicitis) palea autorem profert, fontem historię ostendit, & Ge-

lasmus Papam cum multis Episcopis in testimonium citat. Ex gestis inquit Silvestri, quæ beatus Gelasius in concilio lxx. Episcoporum à Catholicis legi commemorat, & pro antiquo usu multas hoc dicit Ecclesias imitari. In quibus legitur *Constantinus &c.* Multo superius, ubi de libris legendis & non legendis agitur, etiam dixerat, actus beati Silvestri præfatus, licet eius qui scripsit nomen ignoramus, à multis tamen in urbe Roma Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo usu imitantur Ecclesiæ. Mira hæc autoritas, mirum testimonium, inexpugnabilis probatio. Dono vobis hoc, Gelasium dum de Concilio lxx. Episcoporum loquitur id dixisse, Num id dixit, paginam privilegij in beatissimi Silvestri gestis legi, & hoc Romæ, cuius Ecclesiæ autoritatem multæ aliæ sequuntur. Quod ego non nego, concedo, fateor. Me quoque una cum Gelasio testem exhibeo. Verum quid vobis ista res prodest, nisi ut in adducendis testibus mentiri voluisse videamini. Ignoratur nomen eius, qui hoc decretis adscripsit, & solus hoc dicit. Ignoratur nomen eius qui scripsit historiam, & solus is & falso testis assertur. Et vos boni viri atque prudentes hoc satis superque esse ad tantæ rei testimonium exfrimatis? At videte, quantum inter meum interfit vestrumque iudicium. Ego ne si hoc quidem apud gesta Silvestri privilegium contineretur, pro vero habendum putarem, cum historia illa non historia sit, sed poetica & impudentissima fabula, ut posterius ostendam. Nec quisquam alius, alicuius duntaxat autoritatis, de hoc privilegio habeat mentionem. Et Iacobus Voraginenensis propensus in amorem clericorum, ut Archiepiscopus, tamen in gestis sanctorum, de dona-

donatione Constantini, ut fabulosa nec digna quæ inter gesta Silvestri poneretur, silentium egit, lata quodammodo sententia contra eos, si qui hæc litetis mandavissent. Sed ipsum falsarium, ac vere paleam, non triticum, obtorto collo in iudicium trahere volo. Quid ais Falsarie? Vnde sit, quod istud privilegium inter Silvestri gesta non legimus? Credo rarus hic liber est, difficilisque inventu, nec vulgo habetur. Sed tanquam fasti olim à Pontificibus aut libri Sibyllini, à decemviris custoditur. Lingua Græca, aut Syriaca, aut Chaldaica scriptus est. Testatur Gelasius à multis Catholicis legi, Voraginis de eo meminit. Nos quoque mille & antiquæ scripta exemplaria vidimus, & in omni fere Cathedrali Ecclesia, cum adest Silvestri natalis dies, lætitantur, & tamen nemo se illic legisse istud ait, quod tu affingis, nemo audisse, nemo somniasse. An alia quædam fortassis historia est? Et quæ nam ista erit? Ego aliam nescio, nec abs te aliam dici interpreter. Quippe de ea tu loqueris quam Gelasius apud multas Ecclesias lætitari refert. In hac autem tuum privilegium non invenimus. Quod si istud in vita Silvestri non legitur, quid tu ita legi tradidisti? Quid in tanta re joculari es ausus? & levium hominum cupiditatem eludere? Sed stultus sum, qui illius potius infector audaciam, quam istorum dementiam qui crediderunt. Si quis apud Græcos, apud Hebræos, apud Barbaros diceret, hoc esse memoriæ proditum, nonne iuberetis nominare autorem, proferre codicem? & locum ab interprete fidei exponi, antequam crederetis? Nunc de lingua vestra, de notissimo codice fit mentio, & vos tam incredibile factum, aut non inquiritis, aut cum scriptum non reperiatis,

periat, tam prona estis credulitate, ut pro scripto habeatis, atque pro vero. Et hoc titulo contenti, terras miscetis & maria, & quasi nullum subsit dubium, eos qui vobis non credunt, terrore bellorum aliisque minis prosequimini. Bone Iesu, quanta vis, quanta divinitas est veritatis, quæ per sese, sine magno conatu, ab omnibus dolis ac fallacijs seipsa defendit, ut non immerito, cum esset apud Darium regem exorta contentio, quod foret maxime validum, & aliud diceret, tributa sit palma veritati. Quia cum sacerdotibus, non cum secularibus mihi res est, ecclesiastica magis, quam secularia sunt exempla repetenda. Iudas Machabeus, cum dimissis Romam legatis, foedus, amicitiamque à Senatu impetrasset, curavit verba foederis in æs incidenda, Hierosolymamque portanda; taceo de lapideis decalogi tabulis, quas Deus Moysa dedit. Ita vero tam magnifica Constantini, & tam inaudita donatio, nullis neque in auro, neque in argento, neque in ære, neque in marmore, neque positremo in libris, probari documentis potest. Sed tantum, si isti credimus, in charta sive membrana. Iobal primus Musices autor, ut est apud Iosephum, cum esset à maioribus tradita per manus opinio, res humanas semel aqua, iterum igni delendas, doctrinam suam duabus columnis inscripsit, lateritia contra ignem, lapidea contra aquas. Quæ ad Iosephi ævum, ut idem scribit, permansit. Ut suum in omnes beneficium semper extaret. & apud Romanos rusticanos adhuc, & agrestes, cum parvæ & raræ literæ essent, tamen leges duodecim tabularum in æs fuerunt incisæ, quæ in capta atque incensâ à Gallis urbe, incolumes postea sunt repertæ. Adeo duo maxima in rebus humanis,

diutur-

diuturnitatem temporis, & fortunæ violentiam, vincit circumspēcta providentia. Constantinus vero, orbis terrarum donationem, papyro tantum & atramento signavit, cum præsertim machinator fabulæ quisquis ille fuit, faciat Constantinum dicentem, se credere, non de fore, qui donationem hanc impia aviditate rescinderent. Hoc times Constantine, & non caves, ne ij qui Romam Silvestro eriperent, chartulam quoque surriperent? Quid ipse Silvester? pro se nihil agit? Ita omnia Constantino remittit? Ita securus ac segnis est? In tanto negotio, nihil sibi, nihil ecclesiæ suæ, nihil posteritati prospicit? En cui imperium Romanum administrandum committis, qui tam magnæ rei, tantoque aut lucro aut periculò indormit. Siquidem sublata chartula, privilegij donatio, utique ætate procedente probari non poterit. Paginam privilegij appellat homo vesanus privilegium; ne tum libet velut præsentem insectari, vocas donationem orbis terrarum, & hoc in pagina vis esse scriptum, & isto genere orationis usum esse Constantinum. Si titulus absurdus est, qualia cætera existimemus?

Constantinus Imperator quarto die sui baptismatis privilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, ut in urbe Roma sacerdotes, ita hunc caput habeant, sicut iudices regem. Hoc in ipsa Silvestri historia continetur. Ex quo dubitari non potest, ubi nam scriptum significetur privilegium. Sed more eorum, qui mendacia machinantur, a vero inceptit, ut sequentibus, quæ falsa sunt, conciliet fidem. Vt Sinon apud Virgilium. Cuncta equidem tibi rex fuerint quæcunque fatebor, vera inquit, nec me Argolica de gente negabo, hoc primum, deinde falsa subiecit. Ita hoc loco

loco noster Sinon facit , qui quum à vero incepisset, adiecit. In eo privilegio , ita inter cætera legitur. Vtile iudicavimus una cum omnibus Satrapis nostris, & universo Senatu, optimatibus etiam, & cum cuncto populo imperio Romanæ ecclesiæ subiacenti, ut sicut beatus Petrus in terris vicarius Dei videtur esse constitutus , ita & Pontifices ipsius principis Apostolorum vicem, principatus potestatem, amplius quam terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videretur , concessam à nobis nostroque imperio obtineant. O scelerate atque malefice, eadem, quam affers in testimonium , refert historia, longo tempore Senatorij ordinis voluisse accipere religionem Christianam & Constantinum pauperes sollicitasse precio ad baptismum. Et tu ais intra primos statim dies, Senatum, optimates, Satrapas, quasi iam Christianos de honestanda Ecclesia Romana cum Cæsare decrevisse. Quid quod vis interfuisse satrapas? O cautes, ô stipes. Sic loquuntur Cæsares ? Sic concipi solent decreta Romana ? Quis unquam Satrapas in consiliis Romanorum nominari audivit ? Non teneo memoria unquam legisse me ullum, non modo Romanum, sed ne in Romanorum quidem Provincijs Satrapam nominatum. At hic Imperatoris Satrapas vocat. eosque Senatui præponit , quum omnes honores , etiam qui principi deferuntur , tantum à Senatu decernantur , adiuncto populoque Romano . Hinc est quod in lapidibus vetustis, aut tabulis æreis , aut numismatis duas literas videmus. S C. id est Senatus consulto , vel quatuor. S. P. Q. R. hoc est , Senatus populusque Romanus. Et, ut Tertulianus meminit, quum Pontius Pilatus de admirandis Christi actionibus ad Tiberium

rium Cæsarem, non ad Senatum scripsisset, siquidem Magistratus ad Senatum de magnis rebus scribere conlueverant, Senatus hanc rem indigne tulit, Tiberioque prærogativam ferenti, ut Iesus pro Deo cole-retur, repugnavit, ob tacitam tantummodo indigna-tionem, offensæ Senatoriæ dignitatis. Et ut scias quantum Senatus valeat autoritas, ne pro Deo cole-retur obtinuit. Quid, quod ais optimates? quos aut primarios in rep. intelligimus viros, qui cur nominan-tur, quum de cæteris Magistratibus silentium sit? aut eos qui populares non sunt, benevolentiam populi aucupantes, sed optimi cuiusque & bonarum partium studiosi, ac defensores, ut Cicero quadam oratione demonstrat. Ideoque Cæsarem ante oppressam rep. popularem fuisse dicimus, Catonem ex optimatibus, quorum differentiam Salustius explicavit. Neque hi optimates magis, quam populares, aut cæteri boni vi-ri, dicuntur in consilio adhiberi. Sed quid mirum si adhibentur optimates, ubi cunctus populus, si homini credimus, cum Senatu & Cæsare iudicavit? Et is qui-dem Romanæ ecclesiæ subiaccens? & quis iste est po-pulus? Romanus ne? Ac cur non dicitur populus Ro-manus potius quam populus subiaccens? Quæ nova ista contumelia est in Quirites, de quibus optimi poetæ elogium est, Tu regere imperio populos Romane memento? Qui regit alios populos, ipse vocatur po-pulus subiaccens, quod inauditum est. Nam in hoc, ut in multis epistolis Gregorius testatur, differt Roma-nus Pontifex à cæteris, quod solus est princeps liberi populi. Cæterum ita sit, ut vis. Nonne & alij populi subiaccens? An alios quoque significas? Quomodo fie-ri istud triduo poterat, ut omnes populi subiaccens

G

Romanæ

Romanæ Ecclesiæ illi decreto adessent? Tametsi non omnis sex populi judicabat. Quid antequam subiecisset Romano Pontifici populum Constantinus, subiectum vocaret? Quid, quod hi qui subiacentes vocantur, faciendo dicuntur præfuisse decreto? Quid, quod hoc ipsum dicuntur decrevisse, ut sint subiacentes, & ut ille cui subiacet hos habeat subiacentes? Quid agis aliud infelix, nisi ut iudices te voluntatem fallendi habere, facultatem non habere? Eligentes nobis ipsum principem Apostolorum, vel eius vicarios, firmos apud Deum esse patronos. Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, ita eius sacrosanctam Romanâ ecclesiâ decrevimus veneranter honorare, & amplius quam nostrum imperium, terrenum. que thronum, sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltare, tribuentes ei potestatem, & gloriam & dignitatem, atque vigorem, & honorificentiam imperialē. Revivisce paulisper Firmiane Lactanti, resistique huic asino tam vaste, immaniterque rudenti. Ita verborum turgentium strepitu delectatur, ut eadem repetat, & inculcet, quæ modo dixerat. Hunc ne in modum ævo tuo loquebantur Cæsarum scribæ, nedicam agasones? Elegit sibi illos Constantinus non patronos, sed esse patronos. Interposuit illud esse, ut numerum redderet concinniores. Honestæ ratio, barbære loqui, ut venustius curat oratio, si modo quid in tanta scabritia venustum esse potest. Eligentes principem Apostolorum, vel eius vicarios. Non elegis Petrum, & eius deinceps vicarios, sed aut hunc, exclusis illis, aut illos hæc excluso. Et Pontifices Romanos appellat vicarios Petri, quasi vel vivat Petrus, vel minori dignitate sint cæteri, quam Petrus fuit.

Nonne

Nonne & illud barbarum est, à nobis nosiroque imperio? quasi imperium habeat animum concedendi & potestatem. Nec fuit contentus dicere, obtineant, nisi etiam diceret concessam, quum satis alterum esset. Et illud, firmos patronos, perquam elegans est. Scilicet firmos vult, ne pecunia corrumpantur, aut metu labantur. Et illud, terrena imperialis potentia, duo adiectiva sine copula, & illud, veneranter honorare, & illud, nostræ imperialis serenitatis mansuetudo, Lactantianam eloquentiam redolet, quum de potentia agatur imperij, serenitatem nominare, & mansuetudinem, non amplitudinem & maiestatem. Quod etiam tumida superbia inflatum est, ut in illo quoque, gloriose exaltare per gloriam & potestatem & dignitatem & vigorem & honorificentiam imperialem, quod ex Apocalipsi sumptum videtur, ubi dicitur, dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & dignitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & benedictionem. Frequenter, ut posterius liquebit, titulos Dei sibi arrogare fingitur Constantinus, & imitari velle sermonem sacre Scripturæ, quem nunquam legerat. Atque decernentes sancimus, ut principatum teneat, tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quam etiam super omnes, in universo orbe terrarum, Dei Ecclesias. Etiam Pontifex, qui per tempora ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus, & totius mundi existat, & eius iudicio, quæ ad cultum Dei, & fidem Christianorum, vel stabilitatem procurandam fuerint, disponantur. Omitto hic barbariem orationis, quo princeps sacerdotibus, pro sacerdotum

dixit, & quod in eodem loco posuit, extiterit & existat, & quum dixerit, & in universo orbe terrarum, iterum addit, totius mundi, quasi quiddam diversum, aut coelum, quæ mundi pars est, complecti velit, quum bona pars orbis terrarum sub Roma non esset, & quod fidem Christianorum, vel stabilitatem procurandam, tanquam non possint simul esse, distinxerit, & quod decernere & scire miscuit. & veluti prius cum cæteris Constantinus non judicasset, decernere eum, & tanquam poenam proponat sancire, & quidem una cum populo sancire facit. Quis hoc Christianus pati queat, & non Papam, qui hoc patitur, ac libens audit, & recitat, censorie severeque castiget, quod quum à Christiano primatum acceperit Romana sedes, & id Gratiano testante, multisque Græcorum, octava Synodus declararit, accepisse dicatur à Constantino vix dum Christiano, tanquam à Christo? Hoc ille modestissimus princeps, hoc piissimus Pontifex audire voluisset? Absit tam grave ab utroque eorum nefas. Quid, quod multo est absurdius, capit ne rerum natura, ut quis de Constantinopoli loqueretur, tanquam una Patriarchalium sedium, quæ nondum esset, nec patriarchalis, nec sedes, nec urbs Christiano, nec sic nominata, nec condita, nec ad condendum destinata? Quippe privilegium concessum est triduo, quam Constantinus esset effectus Christianus, quum Byzantium adhuc erat, non Constantinopolis. Mentiar, nisi hoc quoque confiteatur hic stolidus. Scribit enim prope calcem privilegij. Vnde congruum prospeximus nostrum imperium, & regiam potestatem, orientalibus transferri regionibus, & in Bizantinæ Provinciæ optimo loco, nomini nostro civitatem ædificari, & illic

& illic nostrum constitui imperium. Si ille alio transferre volebat imperium, nondum transtulerat. Si illic volebat constituere imperium, nondum constituerat. Sic si volebat ædificare urbem, nondum ædificarat. Non ergo fecisset mentionem de patriarchali, de una quatuor sedium, de Christiana, de sic nominata, de condita, de qua condenda, ut historia placet, quam Palea in testimonium affert, ne cogitarat quidem. Atqui non videt hæc belua, sive is Palea sit, sive alius quem alius sequitur, se dissentire. Vbi Constantinus, non sua sponte, sed inter quietem, admonitu Dei, non Romæ, sed Bizantij, non intra paucos dies, sed post aliquot annos, dicitur decrevisse de urbe condenda, nomenque quod in somnis edoctus fuerat indidisse. Quis ergo non videt, qui privilegium composuit eum diu post tempora Constantini fuisse? & quum vellet adornare mendacium, excidisse sibi quod ante dixisset, hæc gesta esse Romæ, tertio die, quam ille fuisset baptizatus, ut in eum decentissime cadat tritum vetustate proverbium, mendaces memores esse oportere. Quid, quod Bizantium, Provincia haud quaquam capax tantæ urbis condendæ? Nunquam muris complexa est Constantinopolis vetus Bizantium, & hic in eius optimo loco ait urbem esse condendam. Quid, quod Thraciam, ubi positum erat Bizantium, vult esse in oriente, quæ vergit ad Aquilonem? Opinor ignorabat Constantinus locum, quem condendæ urbi delegerat, sub quo cælo esset, urbsque an Provincia, quanta eius mensura foret. Ecclesiis beatorum Apostolorum Petri & Pauli, pro continuatione luminariorum, possessionum prædia contulimus, & rebus diversis eas ditavimus, & per nostram

imperialem iussione sacram, tam in Oriente, quam in Occidente, quam etiam à Septentrione & Meridionali plaga, videlicet & in India, Græcia, Asia, Thracia, Africa, & Italia, vel diversis insulis, nostra largitate. Et concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Silvestri, summi Pontificis successorumque ejus omnia disponantur. Q furcifer. Ecclesiæ ne id est templa Romæ erant Petro & Paulo dicata? Quis eas extruxerat? quis ædificare ausus fuisset, quum nusquam foret, ut historia ait, Christianis locus, nisi secreta & latebræ, aut si qua templa Romæ fuissent, illis dicata Apostolis, non erant digna in quibus tanta luminaria accenderentur, ædiculæ sacræ, non ædes, sacella non templa oratoria inter privatos parietes, non publica delubra? Non ergo ante cura gerenda erat de luminaribus templorum, quam de ipsis templis. Quid ais tu, qui facis Constantinum dicentem Petrum & Paulum beatos, Sylvestrum vero, cum adhuc vivit, beatissimum, & suam, qui paulo ante fuisset ethnicus, iussione sacram? Tanta ne conferenda sunt pro continuandis luminaribus, ut totus orbis terrarum fatigetur? At quæ ista prædia sunt, præsertim possessionum? prædiorum possessiones dicere solemus, non possessionum prædia. Das prædia, nec quæ prædia explicas. Ditasti diversis rebus nec quando nec quibus rebus ostendis. Vis plagas orbis à Silvestro disponi, nec pandis quo genere disponendi. Concessisti hæc antea, cur te hodie incepisse significas, honorare Ecclesiam Romanam & ei privilegium concedere? Hodie concedis? Hodie ditas? Cur dicis concessimus, & ditavimus? Quid loqueris, aut quid sentis bestia? Cum fabulæ machinatore mihi sermo est,

est, non cum optimo Principe Constantino. Sed quid in te ullam prudentiam, ullam doctrinam requiro, qui nullo ingenio, nulla literaturâ es præditus? qui ais luminarium pro luminarium. Et Orientalibus transferri regionibus pro eo, quod est, ad Orientales transferri regiones. Quid porro, istæ, ne sunt quatuor plagæ? quam Orientalem numeras? Thraciam ne? An, ut dixi, vergit ad Septentrionem, an Iudæam? At magis ad Meridiem spectat, utpote vicina AEgypto. Quam item Occidentalem? Italiam ne? At hæc in Italia gerebantur, quam nemo illic agens Occidentalem vocat, quum Hispanias dicamus esse in Occidente, & Italia hinc ad meridiem, illinc ad arcton magis quam ad occidentem vergit. Quam Septentrionalem? An Thraciam? At ipse ad Orientem esse vis. An Asiam? at hæc sola totum possidet Orientem, Septentrionem vero communem cum Europa. Quam meridionalem? Certe Africam. At cur non aliquam nominatim Provinciâ proferebas? Nisi forte AEthiopes Romano imperio suberant. Et nihilo minus non habent locum Asia & Africa, quam orbem terrarum in quatuor dividimus partes, & nominatim regiones singularum referimus. Sed cum in tres, Asiam, Africam, Europam. Nisi Asiam pro Asiatica Provincia, Africam pro ea Provincia, quæ prope Getulos est, appellas. Quæ non video cur præcipue nominentur. Siccinè loquutus esset Constantinus quum quatuor orbis plagas exequitur, ut has regiones nominaret, ceteras non nominaret, & à Iudæa inciperet, quæ pars Syriæ numeratur, & quæ amplius Iudæa non erat, everla Hierosolyma, fugatis, ac prope extinctis Iudæis, ita, ut credam vix aliquem in sua patria tunc perman-

permanfisse, fed alias habitafle nationes? Vbi tandem erat Iudæa. quæ nec Iudæa amplius vocabatur, ut hodie videmus illud terræ nomen extinctum? Et ficut exterminatis Chananæis Chananæa regio defijt appellari, commutato nomine in Iudæam à novis incolis, ita exterminatis Iudæis, & convenis gentibus eam incolentibus defierat Iudæa nominari. Nuncupas Iudæam, Thraciam, infulas, Hifpanias vero, Gallias, Germanos, non putas nuncupandos, & cum de alijs linguis loquaris, Hebræa, Græca, Barbara, de ulla provinciarum, Latino fermone utentium, non loqueris. Video, has igitur omififti, ut poftea in donatione complectereris. Et quid non tanti erant tot provinciarum Occidentis, ut continuandis luminatibus fuppeditarent fumptus, nifi reliquis orbis adjuvaret? Tranfeo, quod hæc concedi ais per largitatem. non ergo, ut ifti aiunt, ob lepræ curationem. Alioquin infolens fit, quifquis remunerationem loco munerum ponit.

Beato Silveftro, ejusque vicario, de præfenti tradimus palatium imperij noftri Lateranenfe, deinde diadema, videlicet coronam capitis noftri, fimulque Phrygium, nec non fuperhumerales, videlicet lorum, quod imperiale circumdare folet collum, verum etiam chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, feu etiam dignitatem imperialium præfidentium equitum, conferentes ei etiam imperialia fceptra, fimulque cuncta figna, atque banna, & diverfa ornamenta imperialia, & omnem proceffionem imperialis culminis, & gloriam potestatis noftre. Viris etiã diverfi ordinis reverentibus clericis sanctę Romanę ecclefie fervientibus illud culmẽ fingularum potentiarum, & præcellentię, habere fancimus,

mus, cujus amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari. i. patritios, consules effici. Nec non in ceteris dignitatibus imperialibus eos promulgavimus decorari. Et sicut imperialis extat decorata militia, ita clerum sanctæ Romanæ ecclesiæ adornari decrevimus. Et quemadmodum imperialis potentia, diversis officijs cubiculariorum nempe, & hostiariorum, atque omnium concubitorum adornatur, ita & sanctam Romanā ecclesiā decorari volumus. Et ut amplissime pontificale decus profulgeat, decrevimus, ut & clerici sancti, ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ mappulis & linteaminibus, id est candidissimo colore decoratos equos equitent. & sicut noster Senatus calciamentis utitur cum udonibus, id est candido linteamine illustrentur. & ita cælestia, sicut terrestria ad laudem Dei decorentur. O sancte Iesu, ad hunc sententias voluentem sermonibus imperitis, non respondebis de turbine? non tonabis? non in tantam blasphemiam ultricia fulmina jaculabere? tantum ne probrium in tua familia sustines? Hoc audire, hoc videre, hoc tamdiu conniventibus oculis præterire potes? Sed patientes es, & multæ misericordiæ. Vereor tamen, ne patientia hæc tua sit potius ira & condemnatio, qualis in illos fuit, de quibus dixisti, & dimisi eos secundum desiderium cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Et alibi, Tradidi eos in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt, quia non probaverunt se habere notitiam mei. Iube me quæso domine, ut exclamen adversus eos, & forte convertentur. O Romani Pontificis exemplū facinorum omnium, cæteris Pontificibus! O improbissimi Scribæ & Pharisei, qui sedetis super cathedram Moyse, & opera Dathan

H

& Abyron

& Abyron facitis, ita ne vestimenta, apparatus, pompa equitatus, omnis denique vita Cæsaris, vicarium Christi decebit? Quæ communicatio sacerdotis ad Cæsarem? Ista ne Silvester vestimenta sibi induit? Eo apparatu incescit? Ea celebritate ministrantium domi vixit, atque regnavit? Sceleratissimi homines, non intelligunt Silvestro magis vestes Aaron, qui summus Dei sacerdos fuerat, quam gentilis principis fuisse sumendas. Sed hæc alias erunt exagitanda vehementius. In presentiarum autem de barbarismo cum hoc sycophanta loquamur, cuius ex stultiloquio, impudentissimum eius patescit sua sponte mendacium. Tradimus inquit palatium imperij nostri Lateranense, quasi male hoc loco inter ornamenta donum palatii posuisset, iterum postea ubi de donis agitur replicavit. Deinde diadema, & quasi illi non videant, qui adsunt, interpretatur, videlicet coronam. Verum hic non addidit ex auro, sed posterius eadem inculcans inquit, ex auro purissimo & gemmis preciosis. Ignoravit homo imperitus diadema è panno esse, aut forte è serico. Vnde sapiens illud regis dictum celebrari solet, quem ferunt traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu considerasse, ac dixisse, O nobilem magis quam felicem pannum, quem si quis penitus cognosceret quam multis solitudinibus periculisque & miseriis sis refertus, ne humi quidem jacentem vellet tollere. Iste non putat illud nisi ex auro esse, cui circulus aureus nunc cum gemmis apponi à regibus solet. Verum non erat rex Constantinus, nec regem appellare, nec regio se ritu ornare fuisset ausus. Imperator Romanus erat, non rex. Vbi rex est, ibi resp. non est. At in rep. multi fuerunt etiam uno tempore

tempore Imperatores. Nam Cicero frequenter ita scribit. M. Cicero Imperator illi vel illi Imperatori salutem. Licet postea peculiari nomine Romanus princeps, ut summus omnium, Imperator appellaretur. Simulq; Phrygium necnon superhumeralē, videlicet lorum, quod imperiale circumdare solet collum. Quis unquam Phrygium Latine dici audivit? Tu mihi, dum barbare loqueris, videri vis Constantini aut Lactantij esse sermonem? Plautus in Menechmis Phrygionem pro concinnatore vestiū posuit. Plinius Phrygiones appellat vestes acu pictas, quod earum Phryges fuerunt inventores. Phrygium vero quid significet hoc non exponis quod obscurum, exponis quod est clarius, superhumeralē ais esse lorum, nec quid sit lorum tenes. Non enim cingulum ex corio factum, quod dicitur lorum, sentis circumdari pro ornamento Cæsaris collo. Hinc est quod habenas & verbera vocamus lora. Quod si quando dicantur lora aurea, non nisi de habenis, quæ aurato collo equi aut alterius pecudis circumdari assolent, intelligi potest, quæ res, ut mea fert opinio sefellit, & quum lorum circumdare collo Cæsaris atque Silvestri vis, de homine, de Imperatore, de summo Pontifice equum aut asinum, aut canem facis. Verum & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam. Quia Matthæus ait chlamydem coccineam, & Ioannes vestem purpuream, utrumque voluit hic eodem loco coniungere. Quod si idem color est, ut Evangelistæ significant, quid tu non fuisti contentus alterum nominasse, ut illi contenti fuerunt? Nisi accipis purpuram, ut nunc imperiti loquuntur, genus panni serici colore albo. Est autem purpura piscis, cuius sanguine lana tingitur.

Ideoque à tinctura datum est nomen panno cujus color pro rubro accipi potest, licet sit magis nigricans, & proximus colori sanguinis concreti, & quasi violaceus. Inde ab Homero atque Virgilio purpureus dicitur sanguis, & marmor porphyricum, cuius color est simillimus amethysto. Græci enim purpuram porphyram vocant. Coccineum pro rubro accipi forte non ignoras, sed cur faciat coccineum quum nos dicamus coccum, & chlamys, quod genus sit vestimenti, jurarem te plane nescire. Atque ut ne si longius persequendo singulas vestes, mendacem proderet, uno semel verbo complexus est, dicens omnia imperialia indumenta. Quid? Etiam ne illa, quibus in bello, quibus in venatione, quibus in ludis, quibus in convivijis amiciri solet? Quid stultius quam dicere omnia Cæsaris indumenta convenire Pontifici? Sed quam lepide addit. Seu etiam dignitatem imperialis præsidentium equitum. Seu inquit, distinguere duo hæc invicem voluit, quasi multum inter se habeant similitudinis & de imperatorio habitu ad equestrem dignitatem dilabitur nescio quid loquens. Mira quædam effari vult, sed deprehendi in mendacio timet, eoque inflatis buccis & turgido gutture, dat sine mente sonum. Conferentes ei etiam imperialia sceptrâ. Quæ structura orationis? qui nitor? qui ordo? Quæ nam sunt sceptrâ ista imperialia? unum est sceptrum, non plura. Si modo sceptrum gerebat Imperator. Num & Pontifex sceptrum manu gestabit? Cur non ei dabimus & ensen, & galeam, & jaculum? Simulque cuncta signa, atque bannâ.

Quid tu signa accipis? Signa sunt aut statuar, unde frequenter legimus, signa ac tabulas, pro sculpturis & picturis.

picturis. Prisci enim non in parietibus pingebant, sed
 in tabulis, aut vexilla, unde illud, Signa pares aquilas.
 A priore significato, figilla dicuntur parvæ statuæ at-
 que sculpturæ. Num ergo statuas, aut aquilas suas Sil-
 vestro dabat Constantinus? Quid hoc absurdius? At
 banna quid sibi velint non invenio. Deus te perdat
 improbissime mortalium, qui sermonem barbarum
 attribuis seculo erudito. Et diversa ornamenta impe-
 rialia. Quia dixit banna, satis putavit significatum esse,
 & ideo cætera sub verbum universale conclusit. Et
 quam frequenter inculcat imperialia, quasi propria
 quædam sint ornamenta Imperatoris magis, quam
 consulis, quam dictatoris, quam Cæsaris. Et omnem
 profectionem imperialis culminis, & gloriam potesta-
 tis nostræ. Projicit ampullas, & sesquipedia verba,
 Rex regum Darius, consanguineusque deorum; nun-
 quam nisi plurali numero loqueris. Quæ est ista pro-
 cessio, imperialis cucumeris, per herbam torti, & cre-
 scentis in ventrem? Triumphasse existimas Cæsarem
 quoties domo prodibat, ut nunc solet Papa, præce-
 dentibus albis equis, quos stratos, ornatosque famuli
 dextrant? quo, ut taceam alias ineptias, nihil est va-
 nius, nihilque à Pontifice Romano alienius. Quæ et-
 iam ista gloria est? Gloriam ne, ut Hebrææ linguæ
 mos est, pompam, & apparatus illum splendorem ho-
 mo Latinus appellasset? Vt illud quoque, militiam
 pro milites, quod ab Hebræis sumus mutuati, quorum
 libros Constantinus, aut ipsius scribæ nunquam aspe-
 xerant. Verum quanta est munificentia tua Impera-
 tor, qui non satis habes ornasse summum Pontificem,
 nisi ornes & omnem clerum? culmen singularis po-
 tentiæ & præcellentiæ ais, effici patritios, consules.

H 3

Quis

Quis audivit Senatores, aliosve homines effici patritios? consules efficiuntur, non patritij, ex domo vel patritia, quæ eadem senatoria dicitur, siquidem Senatores patres conscripti sunt, vel ex equestri, vel ex plebeia, plusque est Senatorem quam patritium esse. Nam Senator est unus è delectis consiliariis reipublicæ, patritius vero qui è domo senatoria ortum ducit. Ita qui Senator, aut ex patribus conscriptis, non protinus & patritius est. Ridiculeque Romani mei hoc tempore faciunt, qui præto rem suum Senatorem vocant, quum neque Senatus ex uno homine constare possit, necesseque sit Senatorem habere collegas, & is, qui Senator nunc dicitur, fungatur officio prætoris. At dignitas patritiatus in multis libris invenitur iniquies. Audio. Sed in his qui de temporibus post Constantinum loquuntur, ergo post Constantinum privilegium confectum est. Sed nunquid clerici fieri consules possunt? Coniugio sibi interdixere Latini clerici, & consules fient? Habitoque delectu militum, cum legionibus & auxiliis in provincias, quas fuerint fortiti, se conferent? Ministri ne & servi consules fiant, aut militaria ornamenta nec bini, ut solebat, sed centeni & milleni ministri qui Romanæ ecclesiæ servient, dignitate afficientur imperatoria? Et ego stolidus mirabar quod Papa effici diceretur. Ministri Imperatores erunt, clerici vero milites. Milites ne clerici fient, aut militaria ornamenta gestabunt nisi imperialia ornamenta universis clericis impertis. Nam nescio quid dicas. Et quis non videt hanc fabulam ab his excogitatam esse, qui sibi omnem vestiendi licentiam esse voluerunt. Ut existimem, si qua inter demones, qui aërem incolunt, ludorum genera exercentur, eos expri-

exprimendo clericorum cultu, fastu, luxu, exerceri, &
 hoc scænici lusus genere maxime delectari. Vtrum
 magis insequar? sententiarum an verborum stolidita-
 tem? Sententiarum audistis. Verborum hæc est, ut di-
 cat Senatum videri adornari, quasi non utique ador-
 netur, & quidem adornari gloria, & quod sit, factum
 esse velit, ut promulgavimus, pro promulgamus. Illo
 enim modo sonat jucundius oratio, ut eandem rem
 per præsens & per præteritum enunciet. Velut decer-
 nimus & decrevimus. Et omnia sint referta his vocibus.
 Decernimus, decoramus, imperialis, imperato-
 ria, potentia, gloria. Et extat pro est posuerit, quum
 extare sit supereminere, vel superesse, & nempe pro
 scilicet, & concubitores pro contubernales. Concu-
 bitores sunt qui concumbunt, & coeunt, nimirum
 scorta intelligenda sunt. Addit cum quibus dormiat,
 ne timeat opinor nocturna phantasmata addit cubicu-
 larios, addit hostiarios. Non otiosum est, quare hæc
 ab eo minuta referantur, pupillum instituit, aut ado-
 lescentem filium, non senem, cui omnia quibus ne-
 cesse habet tenera ætas ipse velut amantissimus pater
 præparat, ut David Salomoni fecit. Atque ut per om-
 nes numeros fabula impleatur, dantur clericis equi,
 ne asinario illo Christi more super asellos sedeant, &
 dantur non operi, sive instrati, operimentis coloris
 albi, sed decorati colore albo. At quibus operimentis?
 non stragulis, non Babylonis, aut quo alio genere,
 sed mappulis, & lintheaminibus. Mappæ ad mensam
 pertinent, lintheamina ad lectulos, & quasi dubium
 sit cuius sint hæc coloris, interpretantur, id est candi-
 dissimo colore. Dignus Constantino sermo, digna
 Lactantio facundia, quum in cæteris, tum vero in illo,
 equos

equos equitent. Et quum de vestitu Senatorum nihil dixerit, non de laticlavo, non de purpura, non de cæteris, de calciamentis sibi loquendum putavit. Nec lunulas appellavit, sed udones, sive cum udonibus, quos ut solet homo ineptus exponit, id est candido linteamine, quasi udones linteamen sint. Non occurrit in præsentiarū ubi repererim udones, nisi apud Martialem Valerium, cuius distichon, quod inscribitur udones cilicini, hoc est: Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti, Cyniphio poterit planta latere sinu. Ergo non linei utique, nec candidi sunt udones, quibus hic bipes asellus non calceari pedes Senatorum ait, sed Senatores illustrari, atque per hoc, sicut coelestia, ita terrestria ad laudem Dei decorentur. Quæ tu coelestia vocas? Quæ terrena? Quomodo coelestia decorantur? Quæ autem Deo laus ista sit, tu videris. Ego, si qua fides mihi est, nihil puto, nec Deo nec cæteris hominibus magis esse invisum, quam tantam clericorum in rebus secularibus licentiam. Verum quid ego in singula impetum facio, dies me deficiet, si universa non dico amplificare, sed attingere velim.

Præ omnibus autem licentiam tribuimus beato Silvestro & successoribus ejus, ex nostro indictu, ut quem placatus proprio consilio clericare voluerit, & in religioso numero religiosorum clericorum connumerare, nullus ex omnibus præsumat superbe agere. Quis est hic Melchisedech, qui Patriarcham Abraam benedicit? Constantinus ne vix Christianus facultatem ei, à quo baptizatus est & quem beatum appellat, tribuit clericandi? Quasi prius nec fecisset hoc Silvester, nec facere potuisset? Et qua comminatione vetuit, ne quis impedimento esset? Nullus ex omnibus

bus præsumat superbe agere. Qua etiam elegantia? Comnumerare in numero religioso religiosorum, clericare clericorum & indictu & placatu. Atque iterum ad diadema revertitur. Decrevimus itaque & hoc, ut ipse, & successores eius diademate, videlicet corona, quam ex capite nostro illi concesserimus, ex auro purissimo, & gemmis preciosis, uti debeant, pro honore beati Petri. Iterum interpretatur diadema. Cum Barbaris enim & obliviosis loquebatur, & adjicit, de auro purissimo, ne forte aliquid æris, aut scoriz crederes admixtum. Et gemmas cum dixit addit preciosas, eodem timore, ne viles forsan suspicareris. Cur tamē non preciosissimas, quemadmodum aurum purissimum? Plus nanque interest inter gemmam & gemmam, quam inter aurum & aurum. Et cum dicere debuisset distinctum gemmis, dixit ex gemmis. Quis non videt ex eo loco sumptum, quem princeps gentilis non legerat, Posuisti in capite eius coronam de lapide precioso? Sic loquutus est Cæsar vanitate quadam coronæ suæ jactandæ, si modo Cæsares coronabantur, in seipsum contumeliosus, qui vereretur, ne opinarentur homines, eum non gestare coronam ex auro purissimo, cum gemmis preciosis, nisi indicasset? Accipe causam, cur sic loquatur, pro honore beati Petri. quasi Christus non sit summus angularis lapis, in quo templum ecclesiæ constructum est, sed Petrus, quod iterum postea facit. Quem si tantopere venerari volebat, cur non templum episcopali illi potius, quam Ioanni Baptistæ Romæ dicavit? Quid illa loquendi barbaries, nonne testatur non seculo Constantini, sed posteriori cantilenam hanc esse confictam? Decrevimus quod uti debeant, pro eo quod est,

decrevimus ut utantur. Sic nunc barbari homines vulgo loquuntur, & scribunt, iussi quod deberes venire, pro eo quod est iussi ut venires. Et decrevimus, & concessimus, quasi non tunc fiant illa, sed alio quodam tempore facta sint.

Ipse vero beatus Papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beatissimi Petri, ipsa ex auro non est passus uti corona. O tuam singularem stultitiam Constantine, modo dicebas coronam super caput Papæ ad honorem facere beati Petri, nunc ais non facere, quia Silvester illam recusat, & quum factum recusantis probes, tamen iubes eum aurea uti corona. Et quod hic non debere se agere existimat, id tu ipsius successores dicis agere debere. Transeo, quod rasuram coronam vocas, & Papam Pontificem Romanum, qui nondum peculiariter sic appellari erat ceptus.

Phrygium vero candidissimo nitore splendidum, domini resurrectionem designantes, eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frenum equi, pro reverentia beati Petri Apostoli, dextratoris officium illi exhibuimus, statuantes eodem Phrygio omnes ejus successores singulariter uti, in processionibus ad imperij nostri imitationem. Nonne videtur hic author fabulæ, non per imprudentiam, sed consulto & dedita opera prævaricari, & undique anfas ad se reprehendendum præbere? In eodem loco ait phrygio & dominicam resurrectionem representari, & imperij Cæsarij esse imitationem, quæ duo inter se maxime discrepant. Deum testor, non invenio quibus verbis qua verborum atrocitate confodiam hunc perditissimum nebulonem. Ita omnia verba plena insaniæ

infantia evomit. Constantinum non tantum officio similem Moyſi, qui ſummum ſacerdotem iuſſu Dei ornavit, ſed ſecreta myſteria facit exponentem, quod difficillimum eſt his, qui diu in ſacris literis ſunt verſati. Cur non feciſti etiam Conſtantinum Pontificem maximum, ut multi Imperatores fuerunt, ut commodius ipſius ornamenta in alterum ſummum Pontificem transferrentur? Sed nesciſti hitorias. Ago itaque Deo etiam hoc nomine gratias, quod iſtam nefandiſſimam mentem, non niſi in ſtultiſſimum hominem cadere permixit. Quod etiam poſteriora declarant. Namque Aaron ſedenti in equo, Moyſen inducit dextratoris exhibuiſſe officium, & non hoc per medium Iſrael, ſed per Chananæos atque Aegyptios, id eſt per infidelem civitatem, ubi non tam imperium erat orbis terrarum quam dæmonum, & dæmones colentium populorum.

Vnde ut Pontificalis apex non vileſcat, ſed magis quam imperij terreni dignitas, gloria, & potentia decoretur, ecce tam palatium noſtrum, quamque Romanam urbem & omnes Italiae ſive occidentaliſium regionum Provincias, loca, civitates, beatiffimo Pontifici & univerſali Papæ Silveſtro tradimus, atque relinquimus, & ab eo, & ſucceſſoribus eius per pragmaticum conſtitutum decrevimus diſponendas, atque juri ſanctæ Romanæ eccleſiæ permanendas. De hoc in oratione Romanorum & Silveſtri multa diſſeruimus. Hujus loci eſt ut dicamus neminem fuiſſe facturum, ut nationes uno cunctas verbo donationis involueret, & qui minutiffima quæque ſuperius eſt executus, lorum, calceos, linteamina, equorum ornamenta, non referret nominatim Provincias, quarum ſingulæ

non singulos reges nunc aut principes regibus pares habent. Sed ignoravit videlicet hic fallator, quæ Provinciæ sub Constantino erant, quæ non erant. Nam certe cunctæ sub eo non erant. Alexandro extincto videmus singulas regiones in ducum partitione numeratas. A Xenophonte terras, principesque nominatos, qui vel ultro, vel armis sub imperio Cyri fuerunt. Ab Homero Græcorum, Barbarorumque regum, nomen, genus, patriam, mores, vires, pulchritudinem, numerum navium, & prope numerum militum, cathalogo comprehensum. Cuius exemplum quum multi Græci, tum vero nostri Latini, Ennius, Virgilius, Lucanus Statius, aliique nonnulli imitati sunt. A Iosue & Moyse in divisione terræ promissionis, viculos quoque universos fuisse descriptos. Et tu gravaris etiam Provincias recensere. Occidentales tantum Provincias nominas. Qui sunt fines Occidentis? ubi incipiunt? ubi desinunt? Num ita certi constitutique sunt termini Occidentis, & Orientis, Meridieique & Septentrionis, ut sunt Asiæ, Africæ, Europæ? Necessaria verba subtrahis, ingeris supervacua. Dicis Provincias, loca, civitates. Nonne & Provinciæ & urbes loca sunt? & quum dixeris Provincias, subjungis civitates, quasi hæ sub illis non intelligantur. Sed non est mirum, qui tantam orbis terrarum partem à se alienat, eundem urbium Provinciarumque nomina præterire, & quasi lethargo oppressum, quid loquatur ignorare. Italiæ sive Occidentalium regionum. Tanquam aut hoc aut illud, quum tamen utrumque intelligat, appellans Provincias regionum, quum sint potius regiones Provinciarum, & permanendam dicens pro permansuram. Vnde congruum prospeximus,

mus, nostrum imperium, & regiam potestatem Orientalibus transferri regionibus, & in Byzantiæ Provinciæ optimo loco, nomini nostro civitatem ædificari, & illic nostrum constitui imperium. Taceo quod dixit civitates ædificari, cum urbes ædificentur non civitates, & Italiam Provinciam, si tu es Constantinus, redde causam, cur illum potissimum locum condendæ urbis delegeris: Quod enim te alio transferas post Romam traditam, non tam congruum quam necessarium est. Nec te appelles Imperatorem, qui Romam amifisti, & de nomine Romano quod discerpis pessime meritus es; nec regem, quod nemo ante te fecit, nisi ideo te regem appelles, quia Romanus esse desisti. Sed affers causam sane honestam. Quoniam ubi princeps sacerdotum & Christianæ religionis caput constitutum est, ab Imperatore cælesti, justum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem. O stultum David, stultum Salomonem, stultum Ezechiam, Iosiamque, & cæteros reges stultos, ac parum religiosos, qui in urbe Hierusalem cum summis sacerdotibus habitare sustinuerunt, nec tota illis urbe cesserunt. Plus sapit Constantinus triduo, quam illi tota vita sapere potuerunt. Et Imperatorem cœlestem appellas, quia terrenum accepit imperium. nisi Deum intelligis, nam ambigue loqueris, à quo terrenum principatum sacerdotum, super urbe Romana, cæterisque locis, constitutum esse mentiris. Hæc vero omnia, quæ per hanc imperialem, sacram scripturam, & per alia divalia decreta statuimus & firmavimus, usque in finem mundi, illibata & inconcussa permanere decrevimus. Modo te terrenum vocaveras Constantine, nunc divum, sacrumque vocas. ad gentilitatem reci-

dis, & plusquam gentilitatem. Deum te facis, & verba tua sacra, & decreta immortalia, nam mundo imperas, ut tua iussa conservet illibata & inconcussa. Non cogitas quis tu es. Modo è sordidissimo impietatis coeno lotus, & vix perlotus. Cur non addebas, jota unum, aut apex unus de privilegio hoc non peribit, ut non magis pereat cælum & terra. Regnum Saul adeo electi ad filios non pervenit, regnum David in nepote discriptum est, & postea extinctum. Et tu ad finem usque mundi regnum, quod tu summo Deo tradis permanens, tua auctoritate decernis. Quis etiam te tam cito docuit mundum esse periturum? Nam poetis, qui hoc etiam testantur, non puto te hoc tempore fidem habere. Ergo hoc tu non dixisses, sed alius tibi affinxit. Cæterum qui tam magnifice superbeque loquutus est, timere incipit, sibi que diffidere, eo que obtestationibus agit. Vnde coram Deo vivo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili ejus judicio obtestamur, omnes nostros successores Imperatores, & cunctos optimates, satrapas etiam, amplissimumque Senatum, & universum populum in universo orbe terrarum, nec non & in posterum, nullo eorum quoquomodo licere, hoc aut infringere, vel in quoquo convelli.

Quam æqua, quam religiosa adiuratio. Non secus, ac si lupo per innocentiam, & fidem obtestatur cæteros lupos atque pastores, ne oves quas sustulit, interque filios & amicos partitus est, aut illi adimere, aut hi repetere tentent. Quid tantopere extimescis Constantine? Si opus tuum ex Deo non est, dissolvetur. Sin ex Deo, dissolvi non poterit. Sed video voluisti imitari Apocalypsim, ubi dicitur. Contestor autem

autem audienti omnia verba prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vite, & de civitate sancta. At tu nunquam legeras Apocalypsim, ergo non sunt hæc verba tua.

Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator extiterit, æternis condemnationibus subiaceat condemnatus, & sanctos Dei Apostolos Petrum & Paulum sibi in præsentī & in futura vita sentiat contrarios. Atque in inferno inferiori scilicet concrematus, cum diabolo & omnibus deficiat impijs.

Hic terror, atque hæc comminatio non Cæsaris aut secularis Principis solet esse, sed priscorum sacerdotum, ac flaminum, & nunc ecclesiasticorum. Itaque non est Constantini oratio hæc, sed alicuius clericuli stolidi, nec quid dicat, aut quomodo dicat scientis, faginati, & crassi, ac inter crapulam, interque fervorem vini, has scientias, & hæc verba ructantis. Quæ non in alium transeunt, sed in ipsum convertuntur authorem. Primum ait æternis condemnationibus subiaceat. Deinde, quasi plus addi queat, alia addere vult, & post æternitatem poenarum, adiungit poenas vitæ præsentis, & cum Dei condemnatione nos terreat, adhuc quasi maius quiddam sit, terret nos odio Petri, cui Paulum cur adiungat, aut cur solum, nescio. Iterum solito lethargo ad poenas æternas redit, veluti non hoc ante dixisset. Quod si minæ hæ execrationesque Constantini forent, invicem execraretur ut tyrannum & profligatorem reipub. meæ, & illi me Romano ingenio minarer ultorem. Nunc quis existi-

mat

mat exécrationem avarissimi hominis , & ritu histri-
num verba simulantis , ac sub persona Constantini
alios deterrentis , hoc est proprie hypocritam esse , si
Græcam vocem exquirimus ; sub aliena persona ab-
scondere tuam . Huius vero imperialis decreti pagi-
nam proprijs manibus roborantes, super venerandum
corpus beati Petri posuimus. Carta ne, an membrana
fuit pagina , in qua scripta sunt hæc ? Tametsi pagi-
nam vocabimus alteram faciem, ut dicunt, folij, veluti
quinternio habet folia dena, paginas vicenas. O rem
inauditam & incredibilem ! cum essem adolescentu-
lus, interrogasse me quendam memini, quis librum
Iob scripsisset, cumque ille respondisset, ipse Iob, tunc
me subiunxisse , quo pacto igitur de sua ipsius morte
faceret mentionem ? Quod de multis alijs libris dici
potest , quorum ratio huic loco non convenit. Nam
quomodo vere narrari potest id, quod nondum esset
administratum, & in tabulis contineri id quod post
tabularum , ut sic dicam , sepulturam factum esse ipse
fateatur. Hoc nihil aliud est, quam paginam privile-
gij ante fuisse mortuam & sepultam, quam natam. Nec
tamen unquã à morte atque sepultura reversam, præ-
sertim antequam conscripta esset, roboratam. Nec id
unã tantum , sed utraque Cæsaris manu; & quid istud
est, roborare illam, chirographo ne Cæsaris, an anulo
signatorio ? Magnum nimirum robur, maiusque mul-
to , quam si tabulis æreis mandavisset. Sed non est
opus scriptura ærea, cum supra corpus beati Petri car-
ta reponatur. Cur hic Paulum retices, qui simul jacet
cum Petro, & magis custodire possent ambo, quam si
afforet tantummodo corpus unius? Videtis artes ma-
litiamque nequissimi Sinonis . Quia donatio Con-
stantini

stantini doceri non potest, ideo non in tabulis æreis, sed charteis privilegium esse, ideo latere illud cum corpore sanctissimi Apostoli dixit. Ne aut auderemus è venerabili sepulchro inquirere, aut si inquireremus, carie absumptum putaremus. Sed ubi tunc erat corpus beati Petri? Certe nondum in templo ubi nunc est, non in loco sane munito ac tuto. Ergo non illic Cæsar paginam collocasset. An beatissimo Silvestro paginam non credebat, ut parum sancto, parum cauto, parum diligenti? O Petre, ô Silvester, ô sanctæ Romanæ ecclesiæ Pontifices, quibus oves dominis commissæ sunt, cur vobis commissam paginam non custoditis? Cur à tineis illam rodi, aut cur situ tabesce-re passi estis? Opinor quia corpora quoque vestra contabuerunt. Stulte igitur fecit Constantinus. En redacta in pulverem pagina, ius simul privilegij in pulverem abiit. Atqui, ut videmus, paginæ exemplar ostenditur. Quis ergo illam de sinu sanctissimi Apostoli temerarius accepit? Nimirum aliquis antiquorum scriptorum debet afferri, nec posterior Constantini temporibus. At is nullus affertur, sed forte aliquis recens. Vnde hic habuit? Quisquis enim de superiori ætate historiam texit, aut Spiritu sancto dictante loquitur, aut veterum scriptorum, & eorum quidem, qui de sua ætate scripserunt, sequitur autoritatem. Quare quicumque veteres non sequitur, is de illorum numero erit, quibus ipsa vetustas præbet audaciam mentiendi. Quod si quo in loco ista res legitur, non aliter cum antiquitate consentit, quam illa glossatoris Accursij, de legatis Romanis ad leges accipiendas dimissis in Græciam, plusquam stulta narratio, cum Tito Livio, alijsq; præstantissimis scriptoribus convenit.

K

Datum

Datum Romæ tertio Calendas Aprilis , Constantino Augusto quarto consule, & Gallicano quarto consule. Diem posuit penultima Martij , ut sentiremus hoc factum esse sub tempus sanctorum dierum, qui illo plerunque tempore solent esse . Et Constantino quartum consule, & Gallicano quartum consule. Mirum si uterque ter fuerat consul , & in quarto consulatu forent collegæ. Sed mirandum magis, Augustum leprosum elephantia , qui morbus inter ceteros, ut elephas inter beluas , eminet , velle etiam accipere consulatum, cum Rex Azarias simul ac lepra tactus est, in privato se continuerit , procuratione regni ad Ionathan filium relegata, ut fere omnes leprosi fecerunt. Quo uno argumento totum proisus privilegium confutatur, profigatur, evertitur, ac ne quis ambigat, ante leprosum esse debuisse , quam consulem , sciat & ex medicina, paulatim hunc morbum succrescere , & ex notitia antiquitatis, consulatum iniri Ianuario mense, magistratumque esse annum. & hæc Martio proximo gesta referuntur. Vbi neque filebo , in epistolis scribi solere , *datum* , non autem in ceteris , nisi apud indoctos. Dicuntur enim epistolæ dari, vel illi, vel ad illum. Illi quidem, qui perfert, utputa tabellario, ut reddat , & in manum porrigat homini cui mittuntur . Privilegium autem, ut aiunt, Constantini, quod reddi alicui non debebat, nec dari debuit dici , ut appareat eum , qui sic loquutus est , mentitum esse , nec scisse fingere , quod Constantinum dixisse ac fecisse verisimile esset . Cuius stultitiæ atque vesaniæ affines se ac socios faciunt , quicumque hunc vera dixisse existimant, atque defendunt. Licet nihil jam habeant quo opinionem suam , non dico defendere , sed honeste excusare

excusare possint. An honesta erroris excusatio est, cum patefactam videas veritatem, nolle illi acquiescere, quia nonnulli magni homines aliter senserunt? Magni inquam dignitate, non sapientia, nec virtute. Vnde tamen scis, an illi, quos tu sequeris, si eadem audissent quæ tu, mansuri in sententia fuerint, an à sententia recessuri? & nihilominus indignissimum est, plus homini velle tribuere quam veritati, id est Deo. Ita enim quidam, omnibus defecti rationibus solent respondere, cur tot summi Pontifices donationem hanc veram esse crediderunt? Testificor vos, me vocatis quo nolo, & invitum me maledicere summis Pontificibus cogitis, Quos magis in delictis suis operire vellem. Sed pergamus ingenue loqui, quandoquidem aliter agi nequit hæc causa. Vt fatear eis ita credidisse, & non malitia fecisse, quid mirum si ista crediderunt, ubi tantum lucri blanditur, cum plurima, ubi nullum lucrum ostenditur, per insignem imperitiam credant? Nonne apud Aram coeli, in tam eximio templo, & in loco maxime augusto, cernimus pictam fabulam Sibyllæ & Octaviani, ut ferunt, ex auctoritate Innocentij tertij, hæc scribentis? Qui etiam de ruina templi pacis, sub natale Salvatoris, hoc est in partu uirginis, scriptum reliquit. Quæ ad evertendam magis fidem, quia falsa, quam ad stabiliendam, quia miranda sunt, pertinent. Mentiri ne ob speciem veritatis, pietatis, audet vicarius veritatis, & se scientem hoc piaculo obstringere? An non mentitur? Immo vero à sanctissimis viris se, cum hoc facit, dissentire non videt? Tacebo alios. Hieronymus Varronis testimonio utitur, decem Sibyllas fuisse, quod opus Varro ante Augustum condidit. Idem de templo pa-

cis ita scribit: Vespasianus & Titus Romæ templo pacis ædificato, vasa templi, & universa donaria, in delubro illius consecrarunt, quæ Græca & Romana narrat historia. Et hic unus indoctus plus vult libello suo etiam barbare scripto credi, quam fidelissimis veterum prudentissimorum hominum historijs. Quia Hieronymum attigi, non patiar hanc contumeliam ipsius tacite præteriri. Romæ ex auctoritate Papæ ostenditur codex Bibliæ tanquam reliquiæ sanctorum, luminaribus semper accensis, quod dicunt scriptum chirographo Hieronymi. Quæres argumentum? Quia multum, ut inquit Virgilius, est pictæ vestis & auri. Resque magis Hieronymi manu indicat scriptum non esse. Illum ego diligentius inspectum, comperi scriptum esse jussu regis, ut opinor, Roberti, chirographo hominis imperiti. Huic simile est, quanquam decem milia huiusmodi Romæ sunt, quod inter religiosa demonstratur in tabella effigies Petri & Pauli, quam Silvester Constantino, ab eisdem Apostolis in somnis admonito, in confirmationem visionis exhibuit. Non hoc dico, quia negem effigies illas esse Apostolorum, utinamque tam vera esset epistola, nomine Lentuli missa de effigie Christi, quæ non minus improbe ementita est, quam privilegium, quod confutavimus, sed quia tabella illa à Silvestro non fuerit exhibita Constantino. In quo non sustineo admirationem animi mei continere. Disputabo enim aliquid de fabula Silvestri. Quia & omnis in hoc quaestio versatur, & mihi cum sermo sit cum Pontificibus Romanis de Pontifice Romano potissimum loqui decebit, ut ex uno exemplo, facile aliorum coniectura capiatur. Et ex multis ineptijs quæ ibi narrantur,

unam

unam tantum de dracone attingam, ut doceam Constantinum non fuisse leprosum. Etenim gesta Silvestri ab Eusebio quodam Græco homine, ut interpretatur, composita sunt, quæ natio ad mendacia semper promptissima est. Vt Iuvenalis Satyrica censura ait, Quicquid Græcia mendax audet in historia. Vnde draco ille venerat? Romæ dracones non gignuntur. Vnde etiam illi venenum? In Africa tantum pestiferi dracones, ob ardorem regionis, esse dicuntur. Vnde præterea tantum veneni? ut tam spaciosam civitatem peste corrumperet, præsertim cum in tam alto specu demersus esset, ad quem centum quinquaginta gradibus descenderetur? serpentes, excepto forsan basilisco, non afflatu, sed morfu virus inspirant, atque interimunt. Nec Cato Cæsarem fugiens, cum tanta hominum manu, per medias Africæ arenas dum iter faceret, ac dormiret, ullum sociorum ac comitum suorum, serpentis afflatu vidit extinctum. Neque illi populi ob id aërem sentiunt pestilentem. & si quid fabulis credimus, & Chimæra, & Hydra, & Cerberus, sine noxa vulgo conspecti sunt, ac tacti. Adhuc quin eum Romani potius occidissent. Non poterant inquis. At multo grandiore serpentem in Africa, ad ripam Bragadæ Regulus occidit. Hunc vero vel obstructo ore specus facile erat interimere. An nolebant? Ita opinor pro Deo colebant, ut Babylonij fecerunt. Cur ergo, ut olim Daniel dicitur occidisse, non & Silvester hunc potius occidisset? Quin canabaceo filo alligasset, & domum illam in æternum perdidisset? Ideo commentator fabulæ noluit draconem interimere, ne plane Danielis narratio referri videretur, quod si Hieronymus vir doctissimus ac fidelissimus interpret,

Apollinarisque, & Origenes, atque Eusebius, & nonnulli alij narrationem Beli fictam esse affirmant, si eam Iudæi in veteris instrumenti archetypo non agnoscunt, id est, si doctissimi quique Latinorum, plerique Græcorum, singuli Hebræorum, illam ut fabulam damnant; ego non hanc, adumbratam ex illa, damnabo, quæ nullius scriptoris auctoritate fulcitur, & quæ magistrum multo superat stultitia? Nam quis beluæ domum subterraneam ædificaverat? Quis illic eam collocaverat, & ne prodiret atque avolaret (Volant enim dracones, ut quidam aiunt, etsi alij negant) imperaverat? Quis genus illud cibi excogitaverat? Quis foeminas, easque virgines, ac sanctimoniales descendere præceperat, nec nisi calendis? An tenebat draco quis esset dies calendarum? & tam parco, raroque erat cibo contentus? Nec virgines tam altum specum, tam immanem, & esurientem beluam exhorrebant? Credo blandiebatur eis draco, ut foeminis, ut virginibus, ut cibaria afferentibus. Credo etiam cum illis fabulabatur. Quid ni, honor dicto, etiam coibat? Nam & Alexander, & Scipio ex draconis serpentisve cum matre concubitu geniti dicuntur. Quid de negato postea victu? Non potius aut prodijisset, aut fuisset extinctus? O miram hominum dementiam, qui his anilibus deliramentis fidem habent. Iam vero quamdiu hoc factitatum est? Quando fuit cœptum? Ante adventum salvatoris? An postea? nihil horum scitur. Pudeat nos, pudeat harum næniarum, & levitatis plusquam inimicæ. Erubescat Christianus homo, qui veritatis se ac lucis filium nominat, proloqui, quæ non modo vera non sunt, sed nec verisimilia. At enim inquirunt, hanc dæmones potestatem in gentibus obtinebant,

tinebant, ut eas dijs servientes illuderent. Silete impudentissimi homines, ne dicam sceleratissimos, qui fabulis vestris tale semper velamentum obtenditis. Non desiderat sinceritas Christiana patrociniū falsitatis. Satis per se superque sua ipsius luce ac veritate defenditur, sine istis commentitijs ac præstigijs fabellis, in Deum, in Christum, in Spiritum sanctum contumeliosissimis. Siccine Deus arbitrio dæmonum tradiderat genus humanum, ut tam manifestis, tam imperiosis miraculis seduceretur? ut propemodum posset iniustitię accusari, qui oves lupis commisisset, & homines magnam errorum suorum haberent excusationem. Quod si tantum olim licebat dæmonibus, & nunc apud infideles vel magis liceret, quod minime videmus. Nec ullæ ab eis huiusmodi fabulę proferuntur. Tacebo de alijs populis, dicam de Romanis apud quos paucissima miracula feruntur, eaque vetusta atque incerta, Valerius Maximus ait, Hiatus illum terræ in medio foro, cum se in eum Curtius armatum adacto equo immisisset, iterum coisse, inque pristinam formam continuo revertisse. Item Iunonem Monetam cum à quodam milite Romano captis Veijs per iocum interrogata esset, an Romam migrare vellet, respondisse velle. Quorum neutrum Titus Livius sentit, & prior autor & gravior. Nam & hiatus permansisse vult, nec tam fuisse subitum quam verustum, & ante conditam urbem, appellatumque Curtium lacum, quod in eo delituisse Curtius Metius Sabinus, Romanorum fugiens impressionem. Et Iunonem annuisse, non respondisse. Adiectum fabulæ postea, vocem reddidisse. Atque de nutu quoque palam est illos esse mentitos, vel quod motum simulachri,

chri, avellebant autem illud, interpretati sunt, sua sponte esse factum, vel qua lascivia hostilem, & victam, & lapideam deam interrogabant, eadem lascivia annuisse si iuxerunt. Tametsi Livius inquit non annuisse, sed milites quod annuisset exclamasse. Quæ tamen boni scriptores non defendunt facta, sed dicta excusant. Nam prout idem Livius ait, datur venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. & alibi, Sed in rebus tam antiquis, si qua similia veritati sunt, pro veris accipiantur. Satis habeam, hæc ad ostentationem scænæ gaudentis miraculis aptiora, quam ad fidem, neque affirmare, neque refellere est operæ pretium. Terentius Varro his duobus & prior, & doctior, & ut sentio, gravior autor, ait triplicem historiam de lacu Curtio à totidem autoribus proditam. Vnam à Proculo, quod is lacus ita sit appellatus à Curtio, qui se in eum deiecit, Alteram à Pisone, quod à Metio Sabino, Tertiam à Cornelio, cuius rei socium addit Lucratium, quod à Curtio consule, cui collega fuit M. Genutius. Neque vero dissimulaverim Valerium non plane posse reprehendi, quod ita loquatur, cum paulo post graviter & severe subiiciat: Nec me præterit, de motu & voce deorum immortalium, humanis oculis auribusque percepto, quam in ancipiti opinione æstimatio versetur. Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem autores vendicent. De voce deorum dixit, propter Iunonem Monetam, & propter simulachrum Fortune, quod bis locutum fingitur his verbis: Rite me matronæ vidistis, rite dedicastis. At vero nostri fabulatores passim inducunt idola loquentia, quod ipsi gentiles & idolorum cultores non dicunt, & synce-

ſincerius negant, quam Chriſtiani affirmant. Apud iſtos pauciſſima miracula, non fide autorum, ſed veluti ſacra quadam ac religioſa vetuſtatis commendatione nituntur. Apud iſtos recentiora quædam narrantur, quæ illorum homines temporum nescierunt. Neque ego admirationi ſanctorum derogo, nec ipſorum divina opera abauo, quum ſciam tantum fidei, quantum eſt granum ſinapis, montes etiam poſſe transferre. Immo defendo illa & tueor, ſed miſceri cum fabulis non ſino. Nec perſuaderi poſſum hos ſcriptores alios fuiſſe quam aut infideles, qui hoc agerent in deriſum Chriſtianorum, ſi hæc figmenta, per doſoſos homines in manus imperitorum delata acciperentur pro veris; aut fideles, habentes æmulationem Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, qui non modo de geſtis ſanctorum, verumetiam Dei genitricis, atque adeo Chriſti improba quædam & pſeudeuangelia ſcribere non reformidarunt, & ſummus Pontifex hos libros appellat apocryphos, Quæſi nihil vitij ſit, quod eorum ignoratur author, Quæſi credibilia ſint quæ narrantur, Quæſi ſancta & ad confirmationem religionis pertinentia, ut jam non minus culpæ ſit penes hunc qui mala probat, quam penes illum qui mala excogitavit. Nummos reprobos diſcernimus, ſeperamus, abijcimus, doctrinam reprobam non diſcernemus, ſed retinebimus? ſed cum bona miſcebimus? ſed pro bona defendemus? Ego vero ingenuam feram ſententiam. Geſta Silveſtri nego eſſe apocrypha, quia ut dixi, Euſebius quidam fertur autor, ſed falſa atque indigna quæ legantur exiſtimo, cum in alijs, tum vero in illo quod narratur de dracone, de tauro, de lepra, propter quam refutanda tanta repetij. Neque enim ſi

L

Naaman

Naaman leprosus fuit, continuo & Constantinum leprosum fuisse dicemus. De illo multi autores meminerunt, de hoc principe orbis terrarum nemo, ne suorum quidem civium scripsit, nisi nescio quis alienigena, cui non aliter est habenda fides, quam alteri cui-dam, de vespis intra nares Vespasiani nidificantibus, & de rana partu à Nerone emissa, unde Lateranum vocitatum locum dicunt, quod ibi rana lateat in sepulchro. Quod nec vespæ ipsæ, nec ranæ, si loqui possent, dixissent, nisi ad Deos Capitolinos hoc referunt, quasi illi loqui consueissent, & hoc fieri iussissent. Sed quid mirer hæc non intelligere Pontifices, cum nomen ignorent suum? Cephas enim dicunt vocari Petrum, quia caput Apostolorum esset, tanquam hoc vocabulum sit Græcum ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, & non Hebraicum, sed potius Syriacum, quod Græci κεφύς scribunt, quod apud eos interpretatur Petrus, non caput. Est enim Petrus & petra Græcum vocalum, stultæque per ethymologiam latinam exponitur petra, quasi pede trita. Et Metropolitanum ab Archiepiscopo distinguunt voluntq; illum à mensura civitatis dictum, cum Græce dicatur non Metropolis, sed μητροπῆλις, id est mater civitatis sive urbis, & Patriarcham quasi patrem patrum, & Papam ab interiectione papæ dictum, & fidem orthodoxam quasi recta gloria, & Simonem media correpta, cum legendum sit media longa, ut Platonem, & Catonem, ita legendum Simonem. Et multa similia, quæ transeo, ne culpa aliquorum omnes summos Pontifices videar insectari. Hæc dicta sint, ut nemo miretur, si donationem Constantini commentitiam fuisse, Papæ multi non potuerunt deprehendere, tamen ab aliquo eorum ortam esse hanc

hanc fallaciam reor. At dicitis, cur Imperatores, quorum detrimento res ista cedebat, donationem Constantini non negant, sed fatentur, affirmant, conservant? Ingens argumentum, mirifica defensio. Nam de quo tu loqueris Imperatore? si de Græco, qui verus fuit Imperator, negabo confessionem, si de Latino, libenter etiam confitebor. Etenim quis nescit Imperatorem Latinum gratis factum esse à summo Pontifice ut opinor Stephano, qui Græcum Imperatorem, quod auxilium non ferret Italiæ, privavit, Latinumque fecit, ita ut plura Imperator à Papa, quam Papa ab Imperatore acciperet. Sane Troianas opes quibusdam pactionibus soli Achilles & Patroclus inter se partiti sunt. Quod etiam mihi videntur indicare Ludovici verba, cum ait: Ego Ludovicus Imperator Romanus Augustus statuo, & concedo, per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi beato Petro principi Apostolorum, & per te vicario tuo, domino Paschali summo Pontifici & successoribus eius in perpetuum, sicut à prædecessoribus nostris usque nunc in vestra potestate & ditione tenuistis, Romanam civitatem, cum ducatu suo, & suburbanis, atque viculis omnibus, & territoriis eius, montanis, atque maritimis littoribus, & portubus, seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis, ac villis, in Thuscianæ partibus. & cætera. Tu ne Ludovice cum Paschale pacisceris? Si tua, id est imperij Romani sunt ista, cur alteri concedis? Si ipsius, & ab ipso possidentur, quid attinet te illa confirmare? Quantulum etiam ex imperio Romano tuum erit, si caput ipsum imperij amisisti? A Roma dicitur Romanus Imperator. Quid cætera quæ possides, tua ne an Paschalis sunt? Credo tua dices. Nihil ergo valet do-

natio Constantini, si ab eo Pontifici donata tu possides. Si valet, quo jure tibi Paschalis cætera remittit, retentis tantum sibi quæ possidet? Id sibi vult tanta, aut tua in illum, aut illius in te de imperio Romano largitio? Merito igitur pactum appellas, quasi quandam collusionem. Sed quid faciam inquires? Repe tam armis quæ Papa occupat? At ipse iam factus est me potentior. Repetam jure? At jus meum tantum est, quantum ille esse voluerit. Non enim hæreditario nomine ad imperium veni, sed pacto, ut si Imperator esse volo, hæc & hæc invicem Papæ promittam. Dicam nihil donasse ex imperio Constantinum? At isto modo causam agerem Græci Imp. & me omni fraudare imperij dignitate. Hac enim ratione Papa se dicit facere Imperatorem me, quasi quendam vicarium & nisi promittam, non facturum, & nisi paream, me abdicaturum. Dummodo mihi det, omnia fatebor, omnia paciscar. Mihi tamen crede, si Romam ego aut Thulciam possiderem, tantum abest, ut facerem, quæ facio, ut etiam frustra mihi Paschalis donationis, sicut reor falsæ, caneret cantilenam. Nunc concedo, quæ nec teneo, nec habiturum me esse spero. Ce iure Papæ inquirere non ad me pertinet, sed ad Constantinopolitanum Augustum. Iam apud me excusatus es Ludovice, & quisquis alius Ludovici similis. Quid de aliorum Imperatorum cum summis Pontificibus pactione suspicandum est, cum sciamus quid Sigismundus fecerit, princeps alioqui optimus & fortissimus, sed jam affecta ætate minus fortis? Quem per Italiam paucis stipatoribus septum in diem vivere vidimus, Romæ etiam fame periturum, nisi eum, sed non gratis (extorsit enim donationem) Eugenius

genius pavisset. Is cum Romam venisset, ut pro Imperatore Romanorum coronaretur, non aliter à Papa coronari potuit, quam ut Constantini donationem ratam haberet, eademque omnia de integro donaret. Quid magis contrarium, quam pro Imperatore coronari, qui Romæ ipsi renunciasset? & coronari ab illo, quem & confiteatur, & quantum in se est, dominum Romani imperij faciat? ac ratam habere donationem, quæ vera si sit, nihil Imperatori de imperio reliqui fiat? Quod, ut arbitror, nec pueri fecissent. Quominus mirum, si Papa sibi arrogat Cæsaris coronationem, quæ populi Romani esse deberet. Si tu Papa & potes Græcum Imperatorem privare Italia, provinciisque Occidentis, & Latinum Imperatorem facis, cur pactionibus uteris? Cur bona Cæsaris partiris? Cur in te imperium transfers? Quare sciat quisquis est Imperator Romanus me iudice, se non esse nec Augustum, nec Cæsarem, nec Imperatorem, nisi Romæ imperium teneat, & nisi operam det, ut urbem Romam recuperet, plane esse periturum. Nam Cæsares illi priores, quorum fuit primus Constantinus, non adigebantur iusjurandum interponere, quo nunc Cæsares obstringuntur, sed quantum humana ope præstari potest, nihil imminuturos esse de amplitudine imperij Romani eamque sedulo adaucturos. Non ea re tamen vocati Augusti, quod imperium augere deberent, ut aliqui sentiunt, Latine linguæ imperiti. Est enim Augustus quasi sacer, ab avium gustu dictus, quæ in auspicijs adhiberi solebant, Græcorumque testante lingua, apud quos Augustus *σεβαστής* dicitur. Vnde Sebastia vocata. Melius summus Pontifex ab augendo Augustus diceretur, nisi quod dum temporalia auget,

auget, spiritualia minuit. Itaque videas, ut quisque
 pessimus est summorum Pontificum, ita maxime de-
 fendendæ huic donationi incumbere. Qualis Boni-
 facius octavus, qui Celestinum tubis parieti insertis
 decepit. Hic & de donatione Constantini scribit, &
 regem Franciæ privavit, regnumque ipsum, quasi do-
 nationem Constantini exequi vellet, ecclesiæ Roma-
 nę fuisse & esse subiectum iudicavit. Quod statim suc-
 cessores eius Benedictus & Clemens, ut improbum
 iniustumque revocarunt. Verum quid sibi vult ista
 vestra Pontifices Romani sollicitudo, quod à singulis
 Imperatoribus donationem Constantini exigitis con-
 firmari, nisi quod juri diffiditis vestro? Sed laterem
 lavatis, ut dicitur. Nam neque illa unquam fuit, &
 quod non est, confirmari non potest, & quicquid do-
 nant Cæsares, decepti exemplo Constantini faciunt,
 & donare imperium nequeunt. Age vero demus
 Constantinum donasse, Silvestrumque aliquando
 possedisse, sed postea vel ipsum, vel aliquem ipsorum
 a possessione deiectum, loquor nunc de his, quę Papa
 non possidet, postea loquar de his quę possidet. Quid
 possum vobis magis dare, quam ut ea quę nec fue-
 runt, nec esse potuerunt, fuisse concedam? Tamen di-
 co vos, nec jure divino, nec iure humano, ad recupe-
 rationem agere posse. In lege veteri Hebræus supra
 sextum annum Hebræo servire vetabatur, & quinquage-
 simo quoque anno omnia redibant ad pristinum
 dominum. Tempore gratiæ Christianus à vicario Chri-
 sti redemptoris nostrę servitutis, premetur servitio æ-
 terno? Quid dicam, revocabitur ad servitutem, post-
 quam liber factus est, diuque potitus libertate? Sileo
 quam sævus, quam vehemens, quam barbarus domi-
 natus

natus frequenter est sacerdotum. Quod si ante ignorabatur, nuper est cognitum, ex monstro illo, atque portento, Ioanne Vitelesco Cardinale & Patriarcha, qui gladium Petri quo auriculam Malcho abscidit, in Christianorum sanguine lassavit, quo gladio & ipse periit. An vero populis Israel à domo David & Salomonis, quos Prophetæ à Deo missi unxerant, tamen propter graviora onera desciscere licuit, factumque eorum Deus probavit, nobis ob tantam tyrannidem desciscere non licebit? ab his præsertim qui nec sunt reges, nec esse possunt, & qui de pastoribus ovium, id est animarum facti sunt fures ac latrones. Et ut ad ius humanum veniam, quis ignorat nullum ius esse bellorum? aut si quod est, tamdiu valere, quamdiu possideas, quæ bello parasti. Nam quum possessionem perdis, & ius perdidisti. Ideoque captivos, si fugerint, nemo ad iudicem repetere solet, etiam nec prædas, si eas priores domini receperint. Apes & quædam alia volucrum genera, si è privato meo longius evolaverint, & in alieno defecerint, repeti non queunt. Tu homines non modo liberum animal, sed dominum cæterorum, si se in libertatem manu & armis asserant, non manu & armis repetes, sed iure, quasi tu homo sis, illi pecudes. Neque est quod dicas, Romani iuste bella nationibus intulerunt, iusteque libertate illas exuerant. Noli me ad istam vocare questionem, ne quid in Romanos meos cogar dicere. Quanquam nullum crimen tam grave esse potuit, ut æternam mererentur populi servitutem, cum eo, quod sæpe culpa principis, magnive alicuius in rep. civis bella gesserunt, & victi immerita servitutis poena affecti sunt. Quorum exemplis plena sunt omnia. Neque vero

lege

lege naturę comparatum est, ut populus sibi populum subigat. Pręcipere aliis eosque exhortari possumus, imperare illis ac vim afferre non possumus. Nisi relicta humanitate velimus ferociores beluas imitari, quę sanguinarium in infirmiores imperium exercent, ut Leo in quadrupedes, aquila in volucres, delphinus in pisces. Veruntamen hę beluę non in suum genus sibi ius vendicant, sed inferius. Quod quanto magis faciendum nobis est, & homo homini religioni habendus? quum, ut M. Fabius inquit, nulla supra terras adeo rabiosa belua, cui non imago sua sancta sit. Itaque quatuor fere causę sunt, ob quas bella inferuntur. Aut ob ulciscendam iniuriam, defendendosque amicos. Aut timore accipiendę postea calamitatis, si vires aliorum augeri sinantur. Aut spe prędę. Aut glorię cupiditate. Quarum prima non nihil honesta, secunda parum, duę posteriores nequam honestę sunt. Et Romanis quidem illata fuere frequenter bella, sed postquam se defenderant, & illis & aliis ipsi intulerunt, nec ulla gens est quę ditioni eorum cesserit, nisi bello victa, & domita. quam recte, aut quā causa, ipsi viderint. Eos ego nolim nec damnare, tanquam iniuste pugnaverint, nec absolvere tanquam iuste. Tantum dicam, eadem ratione Romanos cęteris bella intulisse, qua reliqui populi regesque. Atque ipsis qui bello lacessiti victique sunt, licuisse deficere à Romanis, ut ab alijs dominis defecerunt. Ne forte, quod nemo diceret, imperia omnia ad vetutistissimos illos, qui primi domini fuere, id est, qui primi pręripuere aliena, referantur. & tamen melius in victis bello nationibus populo Romano, quam Cęsaribus remp. opprimentibus ius est. Quocirca si
fas erat

fas erat gentibus à Constantino , & quod plus est , à pop. Rom. desciscere, profecto & ab eo jus erit, cui-cunque cesserit ille ius suum. Atque ut audacius a-gam , si Romanis licebat Constantinum aut exigere ut Tarquinium , aut occidere ut Iulium Cæsarem , multo magis eum vel Romanis vel Provincijs licebit occidere, qui in locum Constantini utcunque succes-sit. Hoc etsi verum, tamen ultra causam meam est, & idcirco me reprimere volo , nec aliud ex his collige-re , quæ dixi , nisi ineptum esse, ubi armorum vis est, ibi jus quemque asserre verborum. Quia quod armis acquiritur , idem rursus armis amittitur. Eo quidem magis , quod aliæ novæ gentes, ut de Gothis accepi-mus , quæ nunquam sub imperio Romano fuerunt, fugatis veteribus incolis, Italiam & multas Provincias occuparunt, quas in servitutem revocari, in qua nun-quam fuerunt, quæ tandem æquitas est? præsertim vi-ctrices , & forte à victis. Quo tempore , si quæ urbes ac nationes , ut factum fuisse scimus, ab Imperatore desertæ, ad Barbarorum adventum necesse habuerunt deligere sibi regem , sub cuius auspicijs victoriam re-portarunt , nunquid hunc postea à principatu depo-nerent ? Aut eius filios tum commendatione patris, tum propria virtute favorabiles juberent esse priva-tos , ut iterum sub Romano principe essent, maxime cum eorum opera assidue indigerent, & nullum aliun-de auxilium sperarent ? Hoc si Cæsar ipse, aut Con-stantinus ad vitam reversus , aut etiam Senatus popu-lusque Romanus ad commune iudicium , quale in Græcia Amphitrionum fuit, vocaret , prima statim a-ctione repelleretur, quod à se olim custode desertos, quod tandiu sub alio principe degentes , quod nun-

M

quam

quam alienigenæ regi subditos, quod denique homines libertati natos, & in libertatem robore animi corporisque assertos, ad famulatum servitiumque reposeret. Ut appareat, si Cæsar, si populusq; Romanus à repetendo exclusus est, multo vehementius Papam esse exclusum. Et si licet alijs nationibus, quæ sub Roma fuerunt, aut regem sibi creare, aut temp. tenere, multo magis id licere populo Romano præcipue adversus novam Papæ tyrannidem. Exclusi à defendenda donatione adversarij, quod nec unquam fuit, & si qua fuisset, iam temporum conditione intercidisset, confugiant ad alterum genus defensionis, & velut relicta urbe, in arcem se recipiunt, quam statim deficientibus cibarijs dedere cogentur. Præscripsit, inquit, Romana Ecclesia in his quæ possidet. Cur ergo, quæ maior pars est, ea reposcit in quibus non præscripsit, & in quibus alij præscripserunt? Nisi id non licet alijs in hunc, quod huic licet in alios. Præscripsit Romana ecclesia. Cur ergo ab Imperatoribus toties curat sibi jus confirmandum? Cur donatione confirmacionemque Cæsarum jactat, si hoc unum satis est? Injuriam ei facis, si de altero quoque jure non files. Cur igitur de altero non files? Nempe quia hoc sibi non sufficit. Præscripsit Romana Ecclesia, & quomodo potest præscripsisse, ubi de nullo titulo, sed de malæ fidei possessione constat? Aut si malæ fidei possessionem neges, profecto stultæ fidei negare non posses. An in tanta re, tamque aperta excusata debet esse & facti & iuris ignorantia? Facti quidem, quod Romam Provinciasq; non dedit Constantinus, quod ignorare idiotæ hominis est, non summi Pontificis. Iuris autem, quod illa nec donari potuere, nec accipi,

quod.

quod nescire vix Christiani est. Ita ne stulta credulitas dabit tibi jus in his, quæ si prudentior fores, tua nunquam fuissent. Quid? Nonne nunc saltem, postquam te per ignorantiam atque stultitiam possedisse docui, jus istud, si quod erat, amittes? & quod inscitia male contulerat tibi, nonne id rursum cognitio bene adimet? Mancipiumque ab iniusto ad justum dominium revertetur, fortassis etiam cum usufructu? quod si adhuc possidere pergis, iam inscitia in malitiam, fraudemque conversa est, planeque effectus es malæ fidei possessor. Præscripsit Romana ecclesia. O imperiti, ô divini juris ignari! Nullus quantumvis annorum numerus verum abolere titulum potest. An vero captus ego à Barbaris, creditusque perijsse, post centum annos quibus captivus fui, postliminio reversus, paternæ hæreditatis repetitor excludar? Quid hac re inhumanius? Atque ut aliquod afferam exemplum, num Iepthe dux Israel reposcentibus filiis Ammon terram à finibus Arnon, usque in Iabue, atque in Iordanem, respondit, Præscripsit Israel jam per trecentos annos? An quod nunquam illorum, sed Amorreorum fuisset terra, quam reposcerent, ostendit? & hoc argumentum esse, ad Ammonitas illam non pertinere, quod nunquam intra tot annorum circulum repoposcissent? Præscripsit Romana ecclesia. Tace nefaria lingua. Præscriptionem, quæ fit de rebus mutis atque irrationabilibus, ad hominem transfers, cuius quo diuturnior in servitute possessio, eo est detestabilior. Aves ac feræ in se præscribi nolunt, sed quantolibet tempore possessæ, cum libuerit, & oblata fuerit occasio, abeunt, homini ab homine possesso non licet abire? Accipe, unde magis fraus dolusque, quam igno-

rantia Romanorum Pontificū appareat , utentium iudice bello , non jure . Cui simile quiddam primos Pontifices in occupanda urbe . cæterisque oppidis, credoe feciss. Parum ante me natum , testor eorum memoriā , qui interfuerunt, perinauditum genus fraudis Roma Papale accepit imperium , seu tyrannidem potius, cum diu libera fuisset. Is fuit Bonifacius nonus, octavo in fraude & nomine par, si modo Bonifacij dicendi sunt , qui pessime faciunt, & cum Romani deprehenso dolo apud se indignarentur, Bonifacius Papa, in morem Tarquinij, summa quæque papavera virga decussit. Quod cum postea, qui ei successit, Innocentius imitari vellet, urbe fugatus est. De aliis Pontificibus nolo dicere , qui Romam vi semper oppressam armisque tenuerunt , licet quoties potuit rebellavit , ut sexto abhinc anno , cum pacem ab Eugenio obtinere non posset , nec pax esset hostibus , qui eam obsidebant , & ipsa Papam intra ædes obsedit, non permissura illum abire , priusquam aut pacem cum hostibus faceret , aut administrationem civitatis relegaret ad cives . At ille maluit urbem deserere , dissimulato habitu , uno fugæ comite , quam civibus gratificari, iusta & æqua petentibus. Quibus si des electionem , quis ignorat libertatem magis quam servitium electuros ? Idem suspicari libet de cæteris urbibus quæ à summo Pontifice in servitute retinentur , per quem à servitute liberari debuissent. Longum esset recensere, quot urbes ex hostibus captas , populus Romanus liberas fecit , adeo ut T. Flamminius omnem Græciam, quæ sub Antiocho fuisset, liberam esse, & suis uti legibus juberet. At Papa, ut videre licet, insidiatur sedulo libertati populorum. Ideoque vicissim

sim illi quoque oblata facultate (ad Bononiam modo respice) rebellant. Qui si quando sponte, quod evenire potest, aliquo aliunde periculo urgente, in Papale imperium consenserunt, non ita accipiendum est, consensisse, ut servos se facerent, ut nunquam subtrahere à jugo colla possent, ut postea nati non & ipsi arbitrium sui habeant. Nam hoc iniquissimum foret. Spontè ad te summe Pontifex ut nos gubernes venimus, sponte nunc rursus abs te, ne gubernes diutius, recedimus, si qua tibi à nobis debentur, ponatur calculus datorum, & acceptorum. At tu gubernare invitos vis, quasi pupilli simus qui te ipsum forsitan sapientius gubernare possemus. Adde huc injurias, quæ aut abs te, aut à tuis magistratibus huic civitati frequentissime inferuntur. Deum testamur, iniuria cogit nos rebellare, ut olim Israel à Roboam fecit. Et quæ tanta fuit illa iniuria, quanta portio nostræ calamitatis, graviora solvere tributa? Quid enim si remp. nostram exhaurias? Exhaustisti. Si templa spolies? Spoliasti. Si virginibus matribusque familiæ stuprum inferas? Intulisti. Si urbem sanguine civili perfundas? Perfudisti. Hæc nobis sustinenda sunt? An potius, cum tu pater nobis esse desieris, nos quoque filios esse obliviscemur? Pro patre, summe Pontifex aut si hoc te magis juvat, pro domino hic te populus advocavit, non pro hoste atque carnifice. Patrem agere aut dominum non vis, sed hostem & carnificem. Nos servitiem tuam, impietatemque etsi jure offensæ poteramus, tamen quia Christiani sumus, non imitabimur. Nec in tuum caput ultorem stringemus gladium, sed te abdicato, atque summoto, alterum patrem dominumve adoptabimus. Filii à malis parentibus è quibus

bus geniti sunt, fugere licet, nobis à te non vero patre, sed adoptivo, & pessime nos tractante, non licebit? Tu vero, quæ sacerdotii operis sunt, cura, & noli tibi ponere sedem ad aquilonem, & illinc tonando fulgurantia fulmina in hunc populum cæterosque vibrare. Sed quid plura opus est in re apertissima dicere? Ego non modo Constantinum non donasse tanta, non modo non potuisse Romanum Pontificem in eisdem præscribere, sed etiam si utrumque esset, tamen utrumque jus sceleribus possessorum extinctum esse contendere, cum videamus totius Italiæ multarumque Provinciarum cladem ac vastitatem ex hoc uno fonte fluxisse. Si fons amarus est, & rivus. Si radix immunda, & rami. Si delibatio sancta non est, nec massa. Ita è diverso, si rivus amarus, fons obstruendus est. si rami immundi, è radice vitium venit. si massa sancta non est, delibatio quoque abominanda est. An possumus principatum potentie Papalis pro jure proferre, quem tantorum scelerum, tantorumque omnis generis malorum cernimus esse causam? Quamobrem dico, & exclamo (neque enim timebo homines, Deo fretus) neminem mea ætate in summo pontificatu fuisse, aut fidelem dispensatorem, aut prudentem, qui tantum abest, ut dederit familiæ Dei cibum, & escam panis. Papa & ipse bella pacatis populis infert, & inter civitates principesque discordias ferit. Papa & alienas sitit opes, & suas exorbet, ut Achilles in Agamemnonem *δημόβορ & βασιλεὺς*. Papa non modo remp. quod non Verres, non Catilina, non quispiam peculator auderet, sed etiam rem ecclesiasticam, & Spiritum sanctum quæstui habet, quod Simon ille magus detestatur. Et cum horum admonetur, & à quibus-

quibusdam bonis viris reprehenditur, non negat, sed palam fatetur, atque gloriatur, licere enim quavis ratione patrimonium ecclesiæ à Constantino donatum, ab occupantibus extorquere. Quasi eo recuperato, religio Christiana futura sit beata, & non magis omnibus flagitijs, luxurijs, libidinibusque oppressa, si modo opprimi magis potest, & ullus est sceleri ulterior locus. Vt igitur recuperet cætera membra donationis, male ereptas à bonis viris pecunias peius effundit, militumque equestres pedestresque copias, quibus omnia infestantur, alit, cum Christus in tot milibus pauperum, fame ac nuditate moriatur. Nec intelligit, o indignum facinus! eum ipse secularibus auferre, quæ ipsorum sunt, laborat, illos vicissim, sive pessimo exemplo induci, sive necessitate cogi, licet non est vera necessitas, ad auferenda quæ sunt ecclesiasticorum. Nulla itaque usquam religio, nulla sanctitas, nullus Dei timor, & quod referens quoque horresco, omnium scelerum impij homines à Papa sumunt excusationem. In illo enim comitibusque eius est omnis facinoris exemplum, ut cum Esaia, & Paulo, in Papam & Papæ proximos dicere possumus, Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes. Qui alios docetis, vosipsum non docetis. Qui prædicatis non furandum, latrocinamini. Qui abominamini idola, sacrilegium facitis. Qui in lege & in Pontificatu gloriamini, per prævaricationem legis Deum verum Pontificem inhonoratis. Quod si populus Romanus ob nimias opes veram illam Romanitatem perdidit, si Salomon ob eandem causam in idololatriam amore foeminarum lapsus est, nonne idem putamus fieri in summo Pontifice ac reliquis clericis?

Et

Et postea putamus Deum fuisse permitturum, ut materiam peccandi Sylvester acciperet. Non patiar hanc iniuriam fieri sanctissimo viro. Non feram hanc contumeliam fieri Pontifici optimo, ut dicatur imperia, regna, Provincias accepisse, quibus renunciare etiam solent qui clerici fieri volunt. Pauca possedit Sylvester, pauca cæterique summi Pontifices quorum aspectus apud hostes quoque erat sacrosanctus, veluti illius Leonis, qui trucem barbari regis animum terruit, ac fregit, quem Romanæ vires nec frangere nec terrere potuerant. Recentes vero summi Pontifices id est divitijs, ac delicijs affluentes, id videntur laborare, ut quantum prisca fuere sapientes & sancti, tantum ipsi & impij sint, & stulti, & illorum egregias laudes omnibus probis vincant. Hæc quis Christiani nominis queat æquo animo ferre? Verum ego in hac prima nostra oratione nolo exhortari principes, ac populos ut Papam effrenato cursu volitantem inhibeant, eumque intra suos fines consistere compellant, sed tantum admoneant, qui forsitan iam edoctus veritatem, sua sponte, ab aliena domo in suam, & ab insanis fluctibus, sævisque tempestatibus in portum se recipiet. Sin recuset, tunc ad alteram orationem multo trunculentiorē accingemur. Utinam, utinam aliquando videam, nec enim mihi quicquam est longius, quam hoc videre, & præsertim meo consilio effectum, ut Papa tantum vicarius Christi sit, & non etiam Cæsaris. Nec amplius horrenda vox audiat, partes contra ecclesiam, ecclesia contra Perusinos pugnat, contra Bononienses. Non contra Christianos pugnat ecclesia, sed Papa. Illa pugnat contra spiritualia nequitiae in cælestibus. Tunc Papa & dice-

& dicetur, & erit pater sanctus, pater omnium, pater
 ecclesiæ, nec bella inter Christianos excitabit,
 sed ab alijs excitata, censura Aposto-
 lica, & Papali maiestate
 sedabit.

D I X I.

N

NICO-



NICOLAI DE CVSA

*Cardinalis Tit. sancti Petri ad Vincula, Sententia de
Donatione Constantini, quam scripsit ad Concilium
Basiliensē, de concordantia Catholica.
lib. III. Capite II.*



Num præterire nequeo, quoniam pene omnium sententia indubitata est, Constantinum Imperatorem occidentis imperium Romano Pontifici Sylvestro, ac eius in ævum successoribus perpetuo dono tradidisse, & ideo etiamsi ratio de unitate principantis scilicet adversari bono & recto ordini duo capita fore non concluderet, pateret tamen in Occidente Imperatorem nullum, nisi à Papa dependenter imperium cognosceret, iuste esse posse. Hanc radicem quoad potui investigavi, præsupponens hoc etiam indubitatum esse, Constantinum talem donationem facere potuisse, quæ tamen quæstio nec soluta est hætenus, nec solvetur verisimiliter unquam. sed in veritate supra modum admiror, si res ita est, eo quod in autenticis libris, & in historijs approbatis non invenitur. Relegi omnia quæ potui gesta imperialia, ac Romanorum Pontificum historias, sancti Hieronymi, qui ad cuncta colligendum diligentissimus fuit, Augustini, Ambrosii, ac aliorum opuscula peritissimorum, revolui gesta sacrorum conciliorum quæ post Nicenum fuere, & nullam invenio concordantiam ad ea quæ de illa donatione leguntur. Sanctus Damasus Papa ad instantiam beati Hieronymi actus & gesta prædecessorum dicitur annotasse, in cuius opere

opere de Sylvestro Papa non ea inveniuntur quæ vulgo dicuntur. Legitur in certis historijs Constantinum à Sylvestro baptizatum, Et ipsum Imperatorem tres illas, sancti Ioannis, sanctorum Petri & Pauli ecclesias mirifice ornasse, ac annuos multos redditus è diversis massis terrarum in diversis provincijs & insulis pro continuando ornatu lampadarum balsami & nardipistici, ac cæterorum donasse. De quibus omnibus particularem mentionem in Pontificum libro reperies. Sed de donatione temporalis dominij, aut imperij Occidentis, nihil ibi penitus continetur. Verum quod postquam Astulfus Rex Longobardorum exarchatum Ravennatem occupavit cum aliis multis locis, & Stephanus secundus natione Romanus ex patre Constantino, multis legatis ad Astulfum missis rogaret imperiali ditioni loca restitui, & facere non vellet. Astulfus, Stephanus Pippinum adiens, eum cum duobus filijs in reges unxit. Fuit etiam cum eodem Stephano orator missus Imperatoris, & à Pippino impetrarunt, ut Astulfum induceret, quo imperio loca restitueret. Misit Pippinus, nec profecit. Vnde cum non posset sic ab Astulfo restitutionem impetrare, promissit Stephano se vi ablaturum ab eo, & sancto Petro daturum. Hoc audito revertitur imperialis missus. Pippinus quæ promiserat explevit. Forma vero hujus donationis, in gestis præfati Stephani, cum nominatione particulari omnium bonorum continetur. Zacharias Papa Monarchiam regni Franciæ in Pippinum transtulit, Ludovico rege deposito, de quo legitur. xv. q. vi. alius. & in glo. venerabilem. Ex illo puto Pippinum sedi Apostolicæ favisse. Post hoc Desyderius Rex iterum illas civitates, aut earum aliquas tempore Adriani

ni vi cæpit. **Adrianus** Papa multis missis ad eum legatis, repetijt ius sancti Petri, impetrare non potuit. tunc **Caralos Magnus** invocatus per **Adrianum**, recuperavit, & iterum donavit sancto Petro solennr donatione, quę in gestis ejusdem **Adriani** Papę continetur. Ex istis constat **Constantinum** imperium per exarchatum **Ravennatem**, urbem **Romam**, & Occidentem minime Papę dedisse. Vnde continue legitur, Imperatores usque ad tempora præfata sicut prius, pleno jure **Romam**, **Ravennam**, & **Marchiam** cum alijs locis possedisse. & probat textus. xcvi. distin. bene quidam. ubi dicit de **Patritio** præfecto nomine **Adoacris** regis. & lxiii. distin. **Agatho**. xcvi. dist. cum ad verum. cum similibus. & **Romanos Pontifices** legimus Imperatores fateri dominos. Scribit enim **Agatho** Papa ad Imperatorem **Constantinum**, qui sextam **Synodum** congregavit, & multis annis secutus est primum, quomodo urbs **Roma** sit ipsius Imperatoris servilis urbs. Et **Bonifacius** Papa ad **Honorium**, qui dicit, quod ecclesię **Romanę** ipse habet regere sacerdotium, sed Imperator humanas res. Et in fine dicit **Romam** esse urbem suę mansuetudinis. hic textus habetur. xci. dist. ecclesię. & ut breviter dicam, nulli contrarium legi quin usque ad illa præfata **Pippini** tempora Imperator remanserit in possessione locorum præactorum. Nec unquam legi aliquem **Romanorum Pontificum** usque ad tempora **Stephani** secundi, in illis locis nomine sancti Petri aliquid juris præsumpsisse habere. Hęc credo vera esse, non obstante famigera opinione de contrario, quę in **Palea** habetur. **Constantinus**. xcvi. distin. quoniam absque dubio, si non fuisset illud dictamen apocryphum,

Gratianus

Gratianus in veteribus codicibus, & canonum collectionibus invenisset. & quia non invenit, non posuit. Vnde quæ postea addidit, pro Palea ita illam confictam scripturam posuit, sicut multa alia inveniuntur ex apocryphis libris nostris inscripta. Ego etiam ad longum hanc scripturam in quodam libro inveni, quæ multo plus continet, quam ea quæ in decreto ponitur loco præallegato, & diligenter eam examinans reperi ex ipsamet scriptura, argumenta manifesta confictionis & falsitatis, quæ pro nunc longum & inutile foret his inferere. Etiam est advertendum, quod tex. Constantinus. xcvi. distin. est ex legenda sancti Sylvestri extractus, & fundat ille qui imposuit decreto, auctoritatem ipsius textus in approbatione Gelasij in Synodo. Rogo videatur xv. distin. sancta Romana illa approbatio, & invenietur pauci roboris, quia dicit autorem ignorari, & tamen per Catholicos legi, & ea propter legi posse, qualis sit approbatio, quisque considerare potest. Multæ enim sunt historiæ sancti Sylvestri, Vna, in quo hoc non invenitur, quam sanctus Damasus ponit. Alia cuius autor ignoratur, quam textus non dicit veram, sed legi posse, neque dicit in illa hoc contineri. Etiam antiqua decreta non habent textum, nisi usque ad. §. Item decreta Romanorum Pontificum inclusive. & sic non invenitur in illis libris iste. §. de Historia Sylvestri. Quinta etiam universalis Synodus, quæ de approbatis doctorum omnium, & Scripturarum approbatarum libris mentionem facit, ac etiam ipsa Synodus Martini Papæ, quæ fuit contra asserentes unam voluntatem in Christo, scilicet contra Petrum & Sergium, renovans approbatas Scripturas, ut egomet vidi, nullam de istis

historijs faciunt mentionem , nec quisquam approbatus, aut nominatus inter veridicos, quem unquam vidi. Ego legi in Vincentio historiarum. xxiiij. libro in fine, secundum sanctum Hieronymum, Constantinum uxorem Faustam , & filium Crispum crudeliter occidisse , & in extremo vitæ ab Eusebio Nicomediæ Episcopo baptizatum, in Arrianam hæresim declinasse. A quo tempore, inquit Hieronymus, ecclesiarum rapinæ , & totius orbis discordia secuta est usque in præsens tempus. Ista libro de actibus Sylvestri, quem Vincentius dicit à quodam , cuius nomen ignorat , è Græco translatus , ut eodem libro cap. ix. habetur, manifeste contradicunt . Quis non crederet potius Hieronymo approbato, quam ignoti auctoris Scripturis , quæ apocryphæ dicuntur quando autor ignoratur? Textus etiam qui ascribitur Melchiadi Papæ, qui habetur. xij. q. i. futuram , qui videtur huic dicto aliquantulum ob stare , non est Melchiadis Papæ secundum glossam quandam , & etiam rei veritatem, quia Melchiades præcessit Sylvestrum, ut patet in cathalogo Romanorum Pontificum. Et si Constantinus fuit baptizatus à Sylvestro secundum commune dictum, tunc patet titulum illius textus falsum , quia loquitur de baptismo Constantini. Et etiamsi Melchiadis foret ille textus , adhuc non haberetur argumentum ex eo contra præmissa , quia non dicit aliud quam Constantinum sedem Romanam imperialem reliquisse, & Petro , & successoribus concessisse. hoc est , quod ubi fuit sedes imperialis, quod ibi sit modo Papalis, quod non negatur. Et verum est Constantinum Imperatorem tempore Melchiadis Papæ fuisse , & tunc Christianum, ut per Augustinum in multis locis hoc habetur,

tur, & maxime in epistola ad Glorium, & Elusium, & quibus hoc gratum est, quæ incipit, Dixit quidem Apostolus, & hoc concordat cum Hieronymo. Vidi etiam decretum Leonis Papæ in Synodo Romana cum subscriptione Episcoporum, & clericorum, & civium Romanorum, ubi Leo Papa Othoni primo restituit omnia loca per Pipinum, & Carolum, & Robertum reges sancto Petro data. & nominantur in eodem decreto omnia loca, & nullam facit de donatione Constantini mentionem. Sunt meo judicio illa de Constantino apocrypha.

ANTONI

ANTONINVS ARCHIEPISCOPVS

*Florentinus prima partis historialis tit. 8. c. 2. §.**8. sic inquit.*

Tertium dubium est de donatione facta ecclesiæ à Constantino, de qua habetur in decretis distin. 96. Constantinus. Sed illud cap. non habetur in antiquis decretis. Quid ergo & quantum donaverit, non est bene certum, videtur tamen saltem illud quod Ludovicus Rex Francorum, & Imperator promittit sub iureiurando Paschali Papæ & successoribus eius, de quo habetur distin. 63. Ego Ludovicus. Et Otto Theutonicorum primus Imperator confirmat. Ioannes Papa distinctione eadem, Tibi. Sed & quæstio adhuc agitur inter Canonistas & Legistas, utrum illa tenuerit donatio. Quod Canonistæ omnino firman, & Theologi magis confirmant. Et quia non fuit simplex donatio, sed potius restitutio ecclesiæ facta juris sui, cum omnia sint de Christi dominio, cuius Papa est vicarius in terris, cætera vero dimisit dominis temporalibus.

RAPHAEL VOLATERRANVS

in vita Constantini Magni sic scribit.

DE dono Constantini, aut concessione apud nullos extat autores, præterquam in libro decretorum, idque in antiquis voluminibus minime contineri auctor est Antoninus præsul Florentinus in Chronicis.

F • I N I S.